49916/B

STOERCK

ANTON L. B. DE STORCK,

Domin. in Jetelſee, Auguſtiſſ. Imperator. a Conſil. Aulic., Archiatror. Comitis, Stud. Medici, atque Inclitæ Facultat. Medic. Vindobonenſ. Præſidis, ac Director. perpetui. Per univerſ. Auſtriæ Provinc. Protomed. Noſocomii Pazmannian. Phyſic., Cenſ. Cæſ. Reg. Aſſeſſ. Societat. Edimburg., Botan. Florent., Med. Pariſin., Academ. ſcient. Neapolitan., Scient. Acad. Natur. curioſor., Degli Agiati di Roveredo Membri &c. &c.

PRÆCEPTA MEDICO-PRACTICA

IN USUM

Chirurgorum caſtrenſium & ruralium Ditionum Auſtriacarum.

e Lingua Germanica in latinam verſa.

PER

JOANNEM MICHAELEM SCHOSULAN

Medicinæ Doctorem Vindobonenſem, & ejusdem Facultatis medicæ p. t. Decanum.



TOMUS II.

Editio altera aucta.

VIENNÆ AUSTRIÆ 1784.

Apud Fridericum Auguſtum Hartmann.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

De Hydrophobia ſeu Rabie Canina.

Hydrophobia omnium malorum humano generi maxime horrificum morſu ſolummodo animalis rabidi generatur.

Virus Rabiei in ſaliva hæret, quod ſi ſoli cuti adplicatum vel per hanc in inflictum delatum fuerit vulnus, poſt tertium, ſeptimum, nonum ad quadrageſimum uſque diem, nonnunquam etiam tardius lethalem hunc excitat morbum.

In canibus, lupis & vulpibus morbus hic ſua quidem ſponte exoritur, communiter tamen frigus intenſum vel calor, defectus nutrimenti neceſſarii & potus, nimia

ſalacitas, vehemens longaque vexatio, devoratio carnium putridarum calente æſtate, avida ſitiente corpore putridæ & inſectis refertæ aquæ ingurgitatio &c. cauſam proximam abſolvunt. Animalia hæc ſua in rabie mordendo morbum hunc aliis animalibus vel hominibus (qui & quæ rabioſi redditi alia aliosve inficiunt) communicant.

Sæpiſſime tamen inter animalia canes rabidi evadunt, cumque hi tanquam animalia domeſtica cum hominibus verſentur, hominesque cum his familiariter vivant, conſequenter propter hos minime ſibi metuant, idcirco etiam ab hoc animalium genere utplurimum timenda eſt infectio: quia tamen non illico mordere ſolent, ſed prius ſigna morbi ſui increſcentis præbent, hinc ſumme neceſſe eſt cuncta hæc ſigna ad amuſſim noſſe, quibus obſervatis ad ulterius damnum avertendum neceſſarius apparatus comparari poteſt.

Quamprimum igitur canis parum vel plane nihil cibi potusque aſſumat, vel per alia adhuc ſigna ægrotare ſe oſtendat, omni poſſibili cum ſollicitudine obſervandus

eſt,

eſt, ſiquidem ſimilis ſtatus morboſus Hydrophobiæ initium eſſe poſſit.

Si jam hac ſub obſervatione advertatur canem triſtem evadere & murmurare, ſeſe abſcondere, bibere nihil, turbidos & lacrymantes habere oculos, illico necandus eſt, quia ſtatus hic *primus* eſt Rabiei caninæ *gradus*, quæ Rabies brevi futura ferox.

Qui igitur propriam proximique ſui ſalutem diligit, triſtiſſimasque horrifici hujus morbi ſequelas perſpicit, nulla ratione hæſitabit datum hoc conſilium exequi, quod ſe ipſum proximumque ſuum quam certiſſime lethalis hujus infectionis ſecurum reddit; in hoc unice enim conſiſtit remedium præſervativum, quod tranſitum terribilis hujus morbi in hominem præpedit.

Increſcente Rabie continuo triſtior evadit canis, oculi ipſius magis turbidi redduntur, omnem fugit hominem, ſiti torquetur & ore hiante linguam exſerit, omne tamen potulentum formidat; neminem ſibi adſtare patitur, latrat raro, & ſi latret, raucam edit vocem, omnique ſibi appropinquanti morſum ſuum veneñatum & lethalem inferre tentat; ſaliva tenax ex lingua depluit, ore

ſpumam reddit, & hic ſtatus *ſecundum* Rabiei caninæ abſolvit *gradum.*

Tandem morbus in ſingulas horas ferocior fit, canis continuo circumcurrit, proprium jam herum fugit, & omnem obviam ſibi venientem aggreditur.

In principio tarde, increſcente autem Rabie inclinato capite, auriculis pendulis, demiſſa & ſæpius intra crura tracta cauda celerius currit. Curſus ejus inordinatus eſt, nonnunquam aliquod intervallum recto abſolvit curſu, aſt ſubito ſe vertit, & ulterius tendit curſum ſuum & hoc ſæpe incredibili cum celeritate: ſi vero aquam vel ſolum corpus lucidum intuetur, feſtinans auffugit.

Oculi ejus rutili jam figuntur, jam furibunde in orbita rotantur, linguam coloris plumbei ex ore pendulam gerit; quocunque curſum ſuum tendit, cuncti canes reliqui territi eum fugiunt; in hoc morbi gradu morſus eſt venenatiſſimus.

Tandem canis ſenſim laſſatur, conſuetus ejus curſus tardior fit, reptabundus & poſtremo vaccillans, oculi copioſiores fundunt lacrymas, pili eriguntur, caput continuo magis magisque fit pendulum, lingua

nigre-

nigreſcit, ſpuma augetur in ore; aſt continuo adhuc morſum raptim inferre tentat, quorſumcunque pervenit; tandem convulſiones ſuccedunt, ſub quibus concidit & perit.

Verum non ſemper hic morbus dictos omnes obſolvit gradus. Accidit enim non raro, ut canes *occultata* ſolum afficiantur Rabie, & in hac jam intereant.

Canes hi paccati ſunt, murmurantes ſolum omnemque fugientes hominem latebras quærunt ita quidem, ut ſæpe ignoretur, quonam devenerint, & ſecundo, tertio vel quarto die jam moriuntur; reperiuntur hi longo tempore poſt mortem in angulo, in quem ſub ipſo morbo ſeſe recondidere.

Rabies quidem in hiſce canibus conſuetis prius dictis ſymptomatibus ſe non manifeſtat, interim tamen, ſi quispiam illis adpropinquet, raptim morſum infligere tentant, & mordent, atque horum morſus æque venenatus eſt, ac in Rabie manifeſta.

Omnes a tali cane durante ſuo morbo demorſi etiam virus Rabiei in ſe ſuſcepere, periculumque valde probabile incurrunt ſerius aut citius eundem accipiendi morbum,

niſi mox in principio apta & abſolute neceſſaria remedia præſervativa applicuerint.

Sive vulnus morſu illatum magnum aut parvum ſit; ſeu homo una vel pluribus demorſus fuerit plagis; ſive vulnum inflictum ſanguinem fundat nec ne; unum idemque eſt, & periculi magnitudo ſemper habetur eadem.

Nam poſt leviſſimam fiſſuram in cute nil prorſus ſanguinis plorantem æque ac poſt maximum vulnus horridis & furentibus morbus hic ſuboritur ſymptomatibus.

Igitur non ſolum differentia, quæ ratione majoris minorisve vulneris ſtatui ſolet, ſed & illibata, quæ poſt morſum ſupereſſe conſuevit ſanitas, cauſæ ſunt, quod tot miſeri mox in principio auxilia neceſſaria non quærant, quibus adhibitis ab horrendis Rabiei ſymptomatibus præſervati certe fuiſſent, qui tali ex negligentia ſerius aut citius inevitabiles exſpectendas habent ſequelas morte miſerrima terminandas.

Tempus, quo virus rabioſum in actionem ducitur, certum non eſt, communi tamen obſervatione a die ſeptimo ad vigeſimum primum uſque ſimile quid intueri licet,

cet, etſi nonnunquam citius, nonnunquam tardius idem accidat.

Numeroſa habentur exempla demorſos per unum alterumve menſem, imo annum & ultra bona gaviſos fuiſſe valetudine & poſthac primo morbum hunc omnibus ſuis horrendis ſymptomatibus omnique ſua erupiſſe ferocia.

Antequam virus in actionem ducatur, miſeri infecti in plaga demorſa dolores ſentiunt per totum ſæpe membrum ſeſe extendentes; cutis circa cicatricem profunde rubet, inflammatur & intumeſcit; variis in locis elevatur cicatrix: nonnunquam cutis in loco cicatrix rumpitur, vulnusque reflexis recrudeſcit marginibus, qui intumeſcentes tenuem, acrem & malæ notæ fundunt humorem.

Præter ſymptomata ratione membri demorſi recenſita toto in corpore aliqua ſimul accedit mutatio, & miſer adpropinquantis jamjam morbi principium perſentiſcit.

Profunda etenim triſtitia corripitur, redditurque puſilanimis, qua de cauſa quodvis objectum lacrymas conciet, ipſe ſolitudinem amat, pauca loquitur, atque hæc ti-

mida lacrymantis hominis voce profert; reſpiratio ejus impeditur, quam miſer profunda continuo ſuſpiria ducendo facilitare conatur, nonnunquam in cubile ſe includit amare flagitans, ut ſolus ſibi relinquatur.

Præter hæc accedit frigus, quod in manibus pedibusque incipiens ſenſim per univerſum ſeſe expandit corpus; ſæpe frigus hoc ad eum pervenit gradum, ut in ipſam oſſium medullam penetret.

Tandem appetitus aboletur, aſſumit quidem nonnunquam cibos, ſed ſine oblectamento; dum bibit, perſentit in faucibus inconſuetam conſtrictionem reſpirationemque multum impeditam.

Hinc inde in artubus ſpaſticas miſer contractiones experitur, præcipue in maxilla inferiori, quæ nonnunquam continuo movetur, tantaque ſæpe vehementia, ut linguam ſibi commordeat. Sæpe maxillam Tetanus occupat, qui ita os claudit, ut vi magna adhibita aperiri vix poſſit; Idem ſpaſmus conſtringit fauces, unde vox permutata jam ob altum jam profundum ſonum vix intelligibilis redditur, imo nonnunquam plane aboletur.

Præter

Præter hanc mutationem vocis talem ægri hi ſæpe ſonum edunt, qui latrantibus canibus comparari poſſit.

Somnus eſt inquietus & plenus terrore, nigerrimæque melancholiæ ideis ſomni tempore miſeri torquentur; hujus generis ſunt: præparatio ad crudeliſſimam trucidationem, mors ob aggreſſum indomitorum animalium inevitabilis, ædificia ruinam minitantia &c. imo quocunque oculos vertunt, nonniſi periculo intuentur; utplurimum de morte & nece ſomniant, cumque imaginatio hoc in morbo ſumme irritata ſit, impreſſio anguſtiarum ſub ſomno perpeſſarum etiam, dum evigilant, remanet.

In hoc primo morbi gradu pulſus eſt celer, parvus, nonnunquam inæqualis & intermittens, non raro æger dolores colicos & vomituritiones experitur.

Urina limpida eſt & acris, cutis arida *pellem* vulgo dictam *anſerinam* format, denique tranſpiratio inhibetur.

In gradu ſecundo Reſpiratio magis magisque redditur difficilis ita, ut continuum anxium ſuſpirium habeatur, ſub quo pectus elevatur & humeri.

Triſti-

Triſtitia, inquietudo in his ægris continuo augentur, hinc etiam nullibi locorum ſtabilitatem reperiunt.

Senſuum externorum irritabilitas ſummum nanciſcitur gradum, non amplius lucem perferunt, ideoque ſolum tenebricoſa & ab hominum conſortio remotiſſima quærunt loca.

Somniant quoque vigilantes & varia ſpectra cernunt. Auditus ad intolerantiam uſque acutus redditur, minimus ſuſurrus in eorum auribus ſtrepitus evadit, ut ob omnem ſonum contremiſcant rogantes miſericordiam.

Jam non amplius potulenta deglutire valent, quod impedimentum morbi hujus ſymptoma intolerabiliſſimum cauſat & miſeros hoc affectos ſymptomate ſenſim ad ſummum humanæ miſeriæ apicem deducit.

Indeſinenter ſiti torquentur, attamen utprimum vas ſolummodo bibendi cauſa ori admovent, jam pectus in altum elevatur, fauces conſtringuntur, facies ſpaſticis contrahitur motibus, oculi rotantur, & inexplicabili corripiuntur anxietate, violento

modo

modo aquam abjiciunt, cujus unice intuitus miſeros hos jam in terrorem conjicit.

Attamen nonnullis etiam gaudent momentis, quibus quietiores ſunt & quamdam dictorum torquentium ſymptomatum nanciſcuntur remiſſionem.

Sæpius tunc accidit, ut etiam potulenta deglutire valeant, ſponte ſua igitur tunc potulenta expoſcunt, hæcque avide omni vi arripiunt & avaris hauſtibus, fixis oculis, vehementiſſimoque totius corporis niſu deglutiunt.

Hæc intervalla autem hoc in morbo durabilia non ſunt, brevi etenim priora ſymptomata & majori quidem cum vehementia redeunt,

Aquæ metus continuo evadit major, ob aſpectum ſolum corporis liquidi totum corpus convellitur, ſupprimitur reſpiratio, & vehementiſſimæ geſticulationes in miſero obſervantur; imo ſolum vas, in quo alias potulenta contineri ſolebant, ægrum jam in miſerandum hunc ſtatum conjicit.

Imaginarius eorum aquæ metus eo plane devenit ſæpe, ut omnem ſibi appropinquantem hominem ſecumferre credant

aquam,

aquam, quam vi ipſis infundere vellet; præ ſiti hiant, & tamen eorum natura furibundo cum horrore adverſus omnem refocillantem guttulam rebellis eſt.

In capite, ore, faucibus parteque demorſa multo cum dolore exoritur calor ardens, qui ſæpe eo procedit vehementiæ, ut miſeri vivi potius ardentibus injecti prunis comburi amarent, quam ſimilem dolorem perpeti.

Timor & anxietas continuo increſcunt, ſæpe ſe illum videre credunt, a quo demorſi ſunt, canem, qua ratione ipſis adproximat, ipſos aggreditur & mordet. Quamprimum leviſſimum corpus lucidum conſpiciunt, mox corpus hoc ab illorum idea transfiguratur in canem, invadentem, hinc territi reſiliunt, in fugam ſe convertunt, efflagitantque adſtantes, ut illos ſalvarent, illisque miſererentur.

Profundiſſimo ſub ſilentio ululationes audiunt, & ad minimum ſtrepitum, ob ingreſſum cujusdam perſonæ in cubile domum ſupra ſe corruere exiſtimant ſeque jam ſub rudera ſepultos.

Quod

Quod autem horum ægrorum miſeriam adhuc majorem reddit, quodque omnem ſpectatorem ad lacrymas uſque commovet, eſt: miſeros hos integerrima ſæpe mente conſtare. De omni re omni cum ratione loquuntur, noſcunt perbene ſe horridum hunc habere morbum, cui ſorti deflebili ſubcumbent, optantque, ut tantorum malorum perpeſſio una cum vita brevi finiretur; valedicunt amicis ſuis, admonent eos, ne ſibi adpropinquent, & cæterum omni ex parte mentis ſibi ſunt compotes. Senſibilitas eorum, anxietas & timor, quibus juncta eſt cognitio miſerrimæ ſuæ conditionis, ſummum humanæ miſeriæ gradum in vultu depingunt, & commonſtrant.

In hoc ſecundo morbi gradu pulſus celer & magnus, ſæpe diverſis in corporis partibus inæqualis eſt; Urina profunde rubra, cutis arida & ardens habetur, ſæpe hi ægri bilioſa & amara vomunt.

Interea Rabies perfecta adpropinquat, quo tempore cuncta prius recenſita ſymptomata maximum attingunt gradum.

Lingua liveſcit, ardor evadit intolerabilis & horum miſerorum ſtatus miſcellus eſt

anxie-

anxietatem inter & furorem; os impletur ſpuma, quam egurgitant, & in adſtantes potius exſcreant quam aliorſum, inſuperabili cupiditate mordendi & adſtantes aggredi conantur, verum tamen continuo ob puſilanimitatem animos eorum proſternentem in ſummo tenentur angore; rogant igitur, ut vinculis vinciantur, lubenterque decumbentes vinciendas præbent manus, ne aliis nocere queant; imo illimetipſi omnem admonent adſtantem, ne ſibi propius accedat, ſiquidem illum mordere deberent.

Tandem collum ob difficilem inflatur reſpirationem, facies intumeſcit, genæ rutilant & oculi, labia nigreſcunt, & ſenſibilitas ad ſummum pervenit apicem; leviſſima lux angorem ipſorum auget & furorem; minimum corpus ſplendens aquæ in ipſis excitat ideam, eosque in horrendos ſpaſmos & totius corporis geſticulationes conjicit; leviſſima aëris afflatio idem cauſat; enixe igitur efflagitant commiſerationem, utne adſtantes tantos ipſis inferant cruciatus, neve dolores eorum tali ratione adaugere vellent. Quietem & ſomnum miſeri hi non

adipi-

adipiſcuntur eorumque miſeranda conditio omni momento miſerior redditur.

Nonnulli, qui non cuſtodiuntur violentas ſibimetipſis inferunt manus, ut ſic horridis ſuis miſeriis finem imponant. Alii amicos rogant, ut ſaltem miſericordia moti ipſos trucident. Denique vehementiſſimis corripiuntur convulſionibus, quas poſtea debilitas ſequitur brevi morte terminanda. Multi his ſub convulſionibus ſe ipſos demordent, ſpumamque, qua os impletur, ſputitant. Sæpe ante mortem penitus quieti evadunt, menti ſerenitas redire incipit, & admodum prudenter loquuntur: ſtatus hic ſæpe aliquot horis permanet; verum ſubito omnique cum vehementia redeunt Rabiei ſymptomata, continuoque vehementiora fiunt, & miſerandæ finem imponunt vitæ.

Nonnunquam autem ultra tempus duodecim horarum privata voce contortis fractisque oculis, ore aperto, alto ſtertore in agone conſtituti tandem exſpirant.

In quibusdam hujuscemodi ægris morbus hic non adeo ſtricte conſuetos ſuos obſer-

ſervat gradus. Sæpe ſubito poſt commiſſum in diæta aut vitæ regimine errorem, poſt terrorem aut validum animi affectum vel etiam absque ulla manifeſta cauſa miſeri hi demorſi paulo ante bene ſe habentes nulla deglutire valent potulenta, reſpiratio illorum impeditur, levi corripiuntur frigore, quod mox calore excipitur.

Continuo morbus ſua increſcit vehementia, ita: ut omni momento notabiliter ferocior evadat; unius diei, ſæpe aliquot ſolum horarum ſpatio Rabies perfecta cum horridis ſuis jam adeſt ſymptomatibus & mors non evitanda brevi ſuccedit, quandoque citius, nonnunquam tardius, ſcilicet ſecundum ſymptomatum majorem minoremve vehementiam.

Non raro etiam accidit, ut morbus hic ad *occultam* ſolum *Rabiem* perveniat & jam vitam terminet. Ægri hi perfectam quidem aquæ formidinem habent, aſt tam furente mordendi cupiditate præditi non ſunt, infeſtantur convulſionibus & tertio vel quarto morbi die pereunt.

Hæc ergo ſunt horrida illa ſymptomata; hic eſt deflebilis exitus illius morbi, qui facile

facile præverti, imo in ipſo principio facile curari poteſt, modo omni cum poſſibili aſſiduitate ea in uſum trahantur auxilia, quæ probata medicorum experientia ſalubria inventa & propoſita ſunt.

Omnium primo neceſſe eſt, ut canis ille, qui conſideratis conſiderandis ſymptomatibus rabioſus invenitur, illico trucidetur.

Pari ratione etiam omnes canes, qui a rabido demorſi ſunt, etſi ſolum in cutis ſuperficie attactus contigiſſet, enecandi ſunt, quin exſpectetur, donec ægrotare ſeſe oſtendant.

Ex neglecta hac præcautione omnes illæ emergunt calamitates, quibus tot homines deflebili pereunt fato; etenim nonnulli canem ſuum negligunt, neque ullam ægrotantis curam habent, alii vero adeo incaute agunt, ut eum certis hominibus cum maximo horum periculo curandum tradant, qui ex ſuperſtitione, errore, & inveterato præjudicio audacter tales ſuſcipiunt curas; aut plane lucri cauſa & fortaſſis etiam ſceleſto ex ſcopo fidenter promittunt canem hunc brevi ſeſe certoque curaturos.

Imo talem ob negligentiam unius Canis Rabies inter plures diſſeminari, falſæque conjecturæ anſa dari poteſt, ac ex longe aliis cauſis morbus quidam inter canes regnaret epidemicus, qui morbus horridus nihilominus præverti potuiſſet, ſi primus canis illico neci traditus fuiſſet.

Quamprimum igitur homo a cane vel alio quocunque animali rabie affecto morſu tentatur, omni poſſibili cum cura adlaborandum eſt, ut venenum per morſum cum vel ſine vulnere corpori ſua in ſuperficie adplicatum illico absque mora aboleatur, vel ejus in ſanguinem prorſus impediatur tranſitus, vel ſaltem ita debilitetur & enervetur venenum, ut penitus inefficax, effœtum & innocuum evadat.

A ſubitis enim hoc temporis puncto adhibitis auxiliis dependet demorſi hominis fatum futurum, vita vel mors.

Remedia etiam efficaciſſima, ſi tardius applicentur, minus ſemper ſecura & ſæpenumero inania ſunt. Si vero venenum corpori adplicatum bona cum fortuna illico retardetur, debilitetur & aboleatur, ſecuri eſſe poſſumus morbum hunc nunquam ſub-

ſecu-

ſecuturum, demorſumque omni periculo liberum eſſe permanſurum.

Quæ igitur potiſſimum hoc in puncto agenda ſunt, ſunt ſequentia:

1mo. Absque mora vulnus eluendum eſt, ut hac ratione vis veneni debilitetur.

2do. Vulnus talibus tractetur mediis, quæ humores & conſequenter una cum his etiam venenum attrahunt.

3tio. Partes vulneratæ acribus fricentur & irritentur remediis, ut hac methodo affluxus humorum hoc in loco augeatur, quo facto non ſolum diluitur & eluitur venenum, ſed etiam tranſitus ejus in ſanguinem retardatur & impeditur.

4to. Venenum per remedia cauſtica illico deſtruatur, & annihiletur. Attamen

5to. Omnium ſecuriſſimum, celerrimum & efficaciſſimum remedium præſervativum eſt, dum partem vulneratam amputando aut inurendo una venenum aufferri poteſt.

Optandum foret, ut in ſingulis ſimilibus caſibus, in quibus promptum admodum auxilium requiritur, ſemper expertus & indefeſſus Medicus vel Chirurgus ad manus

eſſet, quimet ipſe ſecundum cognitionem ſuam, prudentiam & experientiam mox applicet illud, quod reſpiciendo circumſtantias & ſymptomata aptiſſimum credit; cum vero ſimile præcipue ruri exequi non ſemper poſſibile ſit, neceſſe eſt omne illud breviter hic adducere, quod quilibet a cane rabido demorſus ſtante pede exequendum habet.

Omne vulnus ſive parvum, magnum, profundum vel leve aut ſolum cutis fiſſura adſit, illico vel aqua, in qua ſal vel ſapo ſolutus eſt, vel aceto, vel acri lixivio elui; & tamdiu fricari debet, donec validus excitetur dolor, aut vulnus multum ſanguinis fundat.

Deinde ſale ſicco vulnus parteſque adjacentes atteruntur; poſtea vulnus priori dicta methodo iterum eluitur & denuo frictio cum ſale ſicco & elutio aliquot vicibus repetenda ſunt.

Si cuncta hæc requiſita cum celeritate & diligentia præſtita fuerint, ſperare licet venenum pro maxima jam parte ablatum aut ſaltem ita debilitatum eſſe, ut non adeo facile perniciem inducere poſſit.

Nihi-

Nihilominus tamen ſemper neceſſe eſt, at vulnus longo adhuc tempore apertum ſuppuransque teneatur, ut tali ratione nec minimus Veneni in ſanguinem tranſitus metuendus ſit.

Ob hanc rationem vulnus remediis acribus tractari debet, qualia ſunt: cepa conquaſſata vel allium cum pipere, quæ vulneri imponuntur, & ſic vulnus deligatur; ejusmodi virtutis eſt mel mixtum ſaponi nigro.

Hiſce factis tranquillo & bono animo exſpectari poteſt chirurgus, cujus officium & obligatio eſt poſt primam renunciationem & vocationem absque mora feſtinante advolare pede.

Interna remedia interim neceſſaria non ſunt, ſufficit, ſi demorſus quietus maneat & nonnunquam vaſculum infuſi ex floribus ſambuci ſumat.

Accidit autem ſæpius, ut aliquis in campo a cane rabido mordeatur, igitur dicta prius auxilia ad manus non habeat; huic æque bene inſerviet pro eluendo vulnere propria urina, & ſalis loco craſſus pulvis vel terra ſicca vel Tabacca, atque his uti poterit repetitis vicibus, ut prius recenſi-

tum fuit; poſtremo autem infricet iterum terram ſiccam vulneri vel Tabaccam, deligetque & lento pede domum petat, ubi mox chirurgus in auxilium vocandus eſt.

Itinerantes, qui in via a rabido mordentur cane, in proximo loco permanere perpeſſumque infortunium judici inſinuare ac ibidem methodo conſueta curam ſubire debent.

Si morſus manicas, tibialia aut alia penetravit veſtimenta, hæcce illico a corpore aufferenda ſunt, ut, ſin minus igni tradantur comburenda, acri ſaltem lixivio ab adhærente ſaliva venenoque purgentur & abluantur, ne minimum quid veſtimentis adhærens permanere poſſibile ſit: triſtiſſima etenim docuere exempla, ope ſimilium ſaliva & veneno conſpurcatorum veſtimentorum rabiem in alios transplantatam fuiſſe.

Pari ratione etiam corporis humani partes non quidem demorſæ, ſed ſolum ſaliva conſpurcatæ illico lixivio, vel aqua, in qua ſapo niger ſolutus, vel aceto ſedule & repetitis quidem vicibus abluendæ & fricandæ ſunt; atque ita talis homo ſecu-

curum ſe credere poteſt, nec quidquam omnino metuendum amplius habet.

Hæc enarrata hactenus medendi methodus continet prima ſumme neceſſaria remedia præſervativa, quæ quilibet mortalium quin chirurgus ſit, aut Medicus, tum in ſe ipſo, tum in aliis adplicare poteſt, donec Chirurgus reliqua adferat auxilia, quæ plus notitiæ, experientiæ & aptitudinis expoſcunt, qua de cauſa in ſimili caſu eruditus ſemper & ſapiens chirurgus ſumme neceſſarius eſt.

Quamprimum igitur Chirurgus advenit, omni cum ſollicitudine examinare debet, an omne, quod neceſſe erat, rite adplicatum factumque fuerit, ſi minimam hac in re dubitandi cauſam habeat, mox vel cuncta denuo repetere, vel ſaltem id, quod rite factum non fuiſſe exiſtimat, exacte ſupplere debet.

Ubi vero mox principio chirurgus aderat, illemetipſe memorata prius media rite adhibere, & mox poſthæc vulnus ſpiritu ſalis ammoniaci lavandulato Pharm. Auſtr. Provinc. *ſub Nro.* 1. bene illinire debet, qui ſpiritus venenum adhuc adhærens fere

certo deſtruit & deler. Si vero Chirurgus vulnus non adeo profundum, aut cutim ſolum fiſſam, verbo: vulnus ita conſtitutum deprehenderet, ut ſine magno periculo illud adurere poſſet, tum ferrum interim ad hoc negotium aptum candefieri jubeat, & plagam demorſam latius tamen ac profundius, quam ipſum vulnus ſit, hocce inſtrumento candente adurat.

Cruſta tali aduſtione nata mox ſeparanda & aufferenda eſt. Vulnus iterato priori methodo lavari & depurari remediisque acribus, ſuppurationem multum promoventibus deligari & pro conditione vulneris & circumſtantiarum reliquarum per 20. - 30. dies ad 40. uſque apertum & ſuppurans ſervari debet. Huic indicationi ſatisfacit unguentum digeſtivum cum ſapone nigro lotricum vel cum unguento ægyptiaco mixtum; aut pulvis cantharidum vulneri inſpergitur & ſuper imponitur latum emplaſtrum veſicans, ut tali ratione etiam partes vulneri vicinæ obtegantur.

Si demorſus aduſtionem ferro candente nimium metuat, aut prorſus admittere nolit, idem fieri poteſt lapide infernali bene

præ-

præparato; hic enim æque bene ac celeriter deſtruit vaſa una cum reliquis partibus, facitque pari ratione impoſſibilem veneni reſorptionem.

Dexteritate præditus chirurgus aduſtionem lapide infernali præſtare poteſt, ubi & qua ratione ab ipſius dependet arbitrio, poterit enim hocce lapide vaſa magna non ſecus ac partes valde irritabiles ſenſilesque evitare atque etiam uſtione ea penetrare loca, ad quæ ferro candenti aditus negatur.

Verum etiam poſt ſimilem inuſtionem vulnus æque, ut ante recenſitum fuit, tractari & acria ſuppurantia remedia adplicari debent.

Quod ſi vero vulnus profundum fuerit, illico a chirurgo dilatandum eſt, ut commode ad fundum vulneris pertingere, & vulnus integrum prius memorata methodo eluere & depurare poſſit; poſtea vulnus remedio Nro. 1. bene & ubique illinire debet; ſi vero chirurgo methodus hæc ſufficiens videretur, vulnus, ſi pateat aditus, ferro candente adurendum, vel, quod adhuc melius, & facilius, lapide infernali cauteri-

teriſandum eſt; poterit etiam chirurgus pro conditione loci fundum vulneris factis inciſionibus fortiter ſcarificare, & tum dicta methodo bene eluere & ſale decrepitato fricare, nec non deſuper, ſi locus admittit, cucurbitas applicare, ut humores quantum poſſibile extrahantur, dein vero vulnus longo tempore dictis prius remediis in ſuppuratione conſervandum eſt.

Si autem morſus phalangi digitorum manus vel pedis inflictus fuerit, & adeo profunde quidem, ut ipſum os læſum ſit, phalangem illico amputare neceſſe eſt.

Pari ratione certis in caſibus ex magnitudine ac profunditate vulneris facile cognoſcet chirurgus, an locus parteſque admittant adjacentes, ut vulnus una cum adplicato veneno penitus reſecetur, ſicque omnis timor & malæ ſequelæ ſimul auſſerri poſſint.

Ubi jam cuncta hactenus recenſita tam ex parte demorſi, quam ex parte chirurgi obſervata, & ad amuſſim facta fuere, ſicque omni ex parte ſecuritas adeſt virus nequaquam reſorptum, ſed ipſo in loco deletum & ablatum fuiſſe, remedia tum interne

ne ſumenda neceſſaria non ſunt, præcipue cum vulnus ſecundum conditionem loci, magnitudinis & profunditatis longo adhuc tempore apertum conſervatur & ſuppurans.

Attamen ſi demorſus continuo ſibi metueret, neque ulla affirmantis Medici & Chirurgi ratione habita anxietate liberaretur, an non aliquid tamen veneni in ſanguinem reſorptum fuerit: ægri tales levibus tractandi ſunt remediis, eorumque animus omni cum cura erigendus eſt, ſiquidem hoc in caſu vel maxime obeſſet puſilanimitas.

Remedia ergo talia ſolum exhibenda ſunt, quæ, quin in ſtatu ſano notabilis inde mutatio excitetur, ſanguinem attenuant, & ſudorem urinamque leviter promovent. Hunc in ſcopum ſæpius de die vaſculum infuſi florum ſambuci, aut radicum quinque aperientium vel etiam herbæ anagallidis flore purpureo propinari, ægerque ſumpto tali infuſo adhuc per horam matutino tempore in lecto leviter tranſpirans permanere poteſt.

Æque

Æque bene agitur, ſi his ægris mane ac veſpere pulvis *ſub Nro.* 2. porrigatur & tali ratione per ſpatium 15. dierum ad 20mum uſque continuetur; quodſi elapſis his diebus advertatur ægrum continuo bona gaudere valetudine, ab omni abſtinendum medicina ſolumque vulnus aliquo adhuc tempore apertum ſervandum eſt.

Valida ſudorifera cunctaque ſtimulantia & calefacientia remedia hoc in caſu non ſecus ac fortia emetica & purgantia nociva ſunt; alvum naturalem & ſecundum conſuetudinem apertam eſſe ſufficit; ita neque diætam nimis ſtrictam eſſe oportet, imo vero cuncta ea maxime ſalubria ſunt, quæ animum exhilarant, erigunt, erectumque conſervant.

Hæc eſt vera & efficax medendi methodus illis in morſibus, in quibus auxilia neceſſaria mox ſtante pede ſufficienterque & per quam ſollicite in uſum trahi poterant.

Si vero 1mo. morſus admodum profundus & magnus factus ſit, aut ſi 2do. plures corpori morſus fuerint inflicti, vel 3tio. Vulneratio tali in plaga contigerit, ut nihilominus, quamvis neceſſaria auxilia quam

citiſſi-

citiſſime fuerint adhibita, reſorptio quædam veneni in ſanguinem ſuſpicari poſſet; ſive 4to. mox in principio vulnus vel ex timore, terrore vel repugnatione demorſi amicorumque ſuorum, aut ex incuria chirurgi non debite tractatum vel prorſus neglectum & conſolidatum fuit; tum cunctis in ſimilibus caſibus neceſſe eſt, ut, præterquam quod pars demorſa nunc majori cum ſedulitate recenſitis toties auxiliis pertractari debeat, interna etiam remedia, quæ tanquam antidota reperta ſunt hactenus, aliquo temporis ſpatio adminiſtrentur.

Inter tot tantaque antidota, quæ contra rabiem caninam laudantur, cordatorum virorum obſervatione & experientia tanquam maxime efficacia & comprobatiſſima ſequentia habentur: ſcilicet: *cantharides*, *Mercurius*, *Meloe Proſcarabæus*, *Meloe majalis*, *camphora*, *Moſchus*, *Opium*, *Acetum*, & *Bella donna*.

Simpliciſſima igitur & facillima rabiei caninæ medendi methodus (quæ hic loci Vindobonæ jam ſæpius his in caſibus optimo cum ſucceſſu adhibita fuit) ſequens eſt.

Si vulnus apertum eſt, tum, uti jam prius dictum fuit, remediis acribus & cauſticis ſæpius elui & apertum ſervari debet.

Quod ſi vero vulnus nimis celeriter conſolidatum fuiſſet, mox inciſiones fiant, hæcque priori modo eluantur, poſtea pulvis cantharidum inſpergatur, & tota plaga lato tegatur emplaſtro veſicatorio.

Altera die vulnus denuo lavari & poſtea, uti jam dictum, longo tempore in ſuppuratione ſervandum & binis quotidie vicibus depurandum erit & deligandum.

Interne ægro præter copioſum potum decocti ex radice graminis vel altheæ cum floribus ſambuci addito melle, ſacharo, liquiritia vel ſyrupo quodam edulcoratum mane ac veſpere cochleare unum remedii *ſub Nro.* 3. propinari debet.

Hocce remedio, ſi nulla extra ordinem ſe manifeſtent ſymptomata, viginti diebus continuandum eſt, & demum adhuc per 10. dies matutino ſolum tempore cochleare unum de remedio dicto Nro. 3. dandum erit; interea ſolum tempore curæ doſis hujus remedii ſecundum circumſtantias minui debet, dum forte vehemens ptyaliſmus vel debi-

debilitans perduransque inde cauſaretur diarrhæa. Si jam demorſus poſt horum dierum decurſum nullam querelam moveat, quod latitantis adhuc veneni ſuſpicionem præbere poſſet, vulneris color & puris conditio bona ſit, hocce remedio penitus abſtinendum, ſolumque vulnus aliquot hebdomadarum intervallo in ſuppuratione conſervandum atque decocto ſupra memorato continuandum eſt. Tandem vulnus ſenſim conſolidari demorſusque omni periculo & malo liber abſolvi poteſt.

Quod ſi vero ſub hoc tempus vel minima ſigna appropinquantis rabiei ſe manifeſtarent, illico ſequens medendi methodus in uſum trahatur oportet.

Sumuntur quatuor grana cantharidum in pulverem redactorum, quibus adfunduntur aceti calidi Unciæ duæ & ſimul relinquuntur in digeſtione per dimidium horæ quadrantem vaſe clauſo, poſtea liquidum hoc ſyrupo quodam vel ſacharo edulcoratum absque colatione veſpere una doſi tepide hauritur.

Æger,

Æger, qui continuo moderate tectus in lecto jacere debet, ſumpto hoc hauſtu plerumque copioſum & multum fætentem nanciſcitur ſudorem, nec non urinam intenſe rubram, copioſam deponere ſolet.

Interdiu æger ſumere poteſt emulſionem ex amygdalis dulcibus, cujus libræ uni camphoræ grana quatuor adjiciuntur, ita quoque decoctum ex radice graminis & floribus ſambuci edulcoratum ſacharo, melle, ſyrupo quodam vel radice liquiritiæ pro potu ordinario ſervire poteſt. Tali ratione quotidie proceditur tamdiu, donec cuncta morbi diſparuerint ſymptomata; tunc uſu cantharidum ceſſandum eſt, & horum loco de remedio Nro. 3. mane ac veſpere cochlear unum exhibendum, & emulſione camphorata, nec non memorato ante decocto per viginti circiter dies adhuc continuandum eſt.

Si jam æger perfecta gaudeat valetudine, emulſione camphorata non amplius opus eſt, ſolumque adhuc veſpere cochlear unum de remedio Nro. 3. una cum aliquot vaſculis prioris decocti per 10. uſque 12. dies ſumi debet; tandem cunctis valedicen-

dum

dum remediis, vulnus tamen per notabile tempus adhuc apertum tenendum eſt.

Quod ſi autem ſub uſu cantharidum vehementes in abdomine dolores, aut ardor in mittenda urina vehemens oriretur, illico decoctum ſuperius vel etiam tenuis emulſio larga manu hauriatur oportet; continuantibus vero vel auctis his ſymptomatibus doſis cantharidum minui & fortaſſe ſolum ad grana duo propinari debet; ſi vero hæc ſymptomata vehementia nimis & periculoſa evaderent, uſu cantharidum penitus abſtinendum eſt.

Jam ſi hoc in ſtatu rabiei ſymptomata non ceſſarent, imo potius rabies, quamvis maxima cum ſedulitate & diligentia dicta prius auxilia fuiſſent adhibita, increſceret, tum absque mora hæc methodus mittenda, & illico arripienda eſt ſequens.

Hæc altera medendi methodus in mercurio conſiſtit, externum in uſum unguentum mercuriale trahitur, in internum mercurius dulcis.

Cura hæc mercurialis non tantum in prophylaxim mox poſt inflictum morſum,

 ſed

ſed etiam curandi ſcopo in ipſa rabie evidente fere cum effectu adminiſtratur.

Primo mox die externe frictionibus, interneque mercurio dulci utendum eſt, nihilominus prius, quod quidem raro neceſſe eſt, in hominibus plethoricis inſtituatur venæſectio, nec non, ſi primæ viæ puræ non ſint, remedium purgans Nro. 4. exhibeatur.

Frictiones cum unguento mercuriali tam in plaga læſa, quam in ipſis artubus & reliquo corpore ſequenti modo inſtituendæ ſunt.

Sumitur unguentum mercuriale, prout in omnibus officinis pharmaceuticis paratum ſemper habetur; dum nempe pars una mercurii vivi cum quadrupla portione axungiæ porcinæ tamdiu teritur, donec omnis mercurius diſpareat; de hoc unguento accipitur drachma una, quæ quantitas vulneri partibusque adjacentibus applicatur, & eouſque infricatur, donec unguentum penitus evanuerit.

Pari modo eadem hujus unguenti quantitas femori infricetur aut brachio; poſtea

æger

æger in lectum depoſitus quietus maneat, tenuemque potum theatum calide aſſumat.

Altera die non ſecus ac priori tam in vulnere partibusque ipſis vicinis, quam in altero femore vel brachio inſtituuntur frictiones, & æger in lecto ut pridie quietus moderato calore corpus ſuum foveat.

Tali ratione continuatur quotidie, donec ptyaliſmus ſuperveniat, qui quarto, quinto ad ſextum uſque diem ſe manifeſtare ſolet.

Eadem die, qua frictiones adhibitæ ſunt, ægro bis de die pulvis Nro. 5. porrigendus eſt, & quidem æque quotidie, quouſque cum frictionibus continuatur.

Quamprimum vero ſufficiens adeſt ptyaliſmus, tam frictiones, quam pulveres ſeponendi, & nonniſi poſt aliquot dies, ſi ptyaliſmus non ſufficeret, iterum in uſum revocandi ſunt. Libra una maximam ſalivæ copiam 24. horarum intervallo conſtituit, ſecundum hanc repetitio aut prorſus intermiſſio frictionum pulverisque determinari poteſt.

Attamen ſi intra ſpatium 6. dierum ptyaliſmus non ſuccederet, doſis remedio-

rum augeri & drachmæ unius loco duæ ſemper drachmæ unguenti mercurialis infricari, nec non pulvis Nro. 5. ter de die porrigi & tamdiu hocce modo continuari debet, donec ptyaliſmus ſeſe oſtendat, quo facto hiſce valedicendum eſt remediis, quod ſi tamen ptyaliſmus iterum parcior evaderet, ad eadem remedia redeundum erit.

Accidit autem ſæpius, ut ptyaliſmi loco diarrhæa ſuperveniat, quod nequidquam obeſt; experientia enim docuit morbum hunc non minus bene per diarrhæam, quam per ptyaliſmum averſum curatumque fuiſſe.

Ptyaliſmus & diarrhæa pro conditione morſus inflicti & circumſtantiarum per 8.-10. dies ad 14tum uſque perdurare poteſt; elapſo vero hoc tempore ab uſu horum remediorum penitus abſtinendum & lene purgans Nro. 6. exhibendum eſt, quod ſtimulum ad ſalivationem aut diarrhæam ſollicitantem e corpore ſuffert. Præterea multa mucilaginoſa, ut cremor oryzæ, hordei, nec non remedium Nro. 15. adminiſtretur oportet, quibus exhibitis iſthæc ſymptomata poſt unum alterumve diem minuentur & penitus exulabunt.

Aſt

Aſt hac ſub cura æger continuo in cubili moderate calido retineri, nilque præter juſcula tenuia, legumina & fructus horræos ipſi propinari debet; omnis enim caro, omnia pinquia non facile dirigenda cunctaque vitanda ſunt ſtimulantia. Pro potu tenuis potus theatus ex floribus ſambuci, herba altheæ vel floribus verbaſci cum liquiritia, vel etiam decoctum hordei cum roob ſambuci porrigi debent.

Minuto ptyaliſmo vel diarrhæa æger adhuc octo vel decem diebus obſervata apta diæta domi ſuæ ſe contineat, his vero elapſis ad conſueta iterum negotia dimitti poterit; vulnus autem, quod tempore hujus curæ remediis ante dictis apertum ſervatum fuit, nunc adhucdum per aliquot hebdomadarum decurſum in ſuppuratione retinendum erit.

Quod methodum medendi concernit cum *Meloe Proſcarabæo* & *Meloe Majali*; hac methodo rabies canina non ſolum impedita, ſed ipſa etiam jam exiſtens curata fuit; quare in prophylacticam etiam curam recommendari & in uſum trahi poteſt.

Meloe Proſcarabæus & Meloe Majalis a Scarabæo Melolantha diſtinguantur oportet, Melolantha enim vernali tempore numeroſiſſimus adeſt folia arborum conſumens. Ad avertendum igitur omnem errorem mox Meloe Proſcarabæi & Majalis deſcriptio ſubſequetur.

Meloe Proſcarabæus. Caput illi eſt demerſum, ſubrotundum, ac leviter convexum. *Oculi* oblongi nigri. *Antennæ* moniliformes, compoſitæ articulis decem vel undecim ſubrotundis, extimo parumper acuminato. *Palpi* quatuor, quorum exteriores interioribus longiores; articulis conſtantes paucis inæqualibus, duobus aut tribus. *Thorax* latitudine & convexitate capitis. *Elytra* convexa, coriacea, rugoſa, brevia ad marginem inferiorem divergentia. *Alæ* nullæ. *Abdomen* oblongum, convexum, 5. aut 6. ſegmentis conſtructum. *Pedes* ſex, quorum 4. anteriorum planta quinque, poſteriorum quatuor articulis compoſita eſt.

Eſſentiatis character conſiſtit, 1mo. in antennis moniliformibus. 2do. In defectu alarum. 3tio. In elytris abdomine brevioribus.

ribus. 4to. In abdomine molli, longitudine pollicem circiter æquante, quod tardo inſectum trahit progreſſu, tactum vero liquorem exſudat oleoſum, odore præditum violarum.

Mas fœmina longe minor, coloris atroviolacei, cujus antennæ longiores & elytra quandoque longitudine vix non abdomen ſuperantia.

Altera ſpecies eſt *Meloe Majalis.* Huic ſunt *Elytra* ſordide flava. *Abdomen* ſegmentis colore plus minus rubro marginatis. Cæterum figura, magnitudine, eſſentiali charactere, nec non proprietatibus cum præcedente convenit. Non adeo frequenter ac præcedens, occurrit.

Cum Meloe hæ dictum liquorem mucilaginoſum facile dimittant, absque multa compreſſione capiantur oportet, ſimulatque domum deportatis viventibus adhuc caput ſupra vas vitreum mel purum continens reſecetur & abjiciatur, corpus vero ipſum in mel deponatur. Vas poſtea tectum clauſumque in locum frigidiuſculum vel temperatum reponitur; ſi forſitan poſt aliquod tempus mel exſiccaretur, recens ad-

 ditur,

ditur, ad mellis libras duas ſeu menſuram dimidiam 150. Meloe ſumuntur.

Methodus hos ſcarabæos in uſum debitum præparandi ſequens eſt:

Sumuntur 24. ſcarabæi una cum adhærente melle, teruntur minutim in mortario marmoreo, tum adduntur theriaçæ unciæ duæ, & radicis valerianæ ſylveſtris pulveriſatæ uncia una ſemis, invicem probe miſcentur, & ad finem adhuc mellis, in quo ſcarabæi aſſervati fuere, tantum additur, quantum ad electuarii non mollis conſiſtentiam requiritur.

De hoc electuario illico, utprimum poſſibile eſt, poſt vulnus inflictum, quin prius alia methodus prophylactica adhibita fuerit, drachma una ſemis, etiam drachmæ duæ pro doſi propinari debent, æger poſtea in cubili moderate calido in lecto ſervandus, diætaque ipſi injungenda ſtrictiſſima & potus parca quantitate concedendus eſt.

Sumpto hoc remedio ægri vehementes in abdomine, in regione renum, deponendaque urina dolores percipere ſolent; urina

urens

urens & pauca valido cum teneſmo ſæpeque ſanguine mixta excernitur.

Hæc ob ſymptomata nemo deterreatur, etenim per hæc ipſa virus hydrophobiæ mutationem ſubit, ex corpore expellitur, horridusque hic morbus arcetur & profugatur.

Eodem tempore etiam copioſus multumque fætens ſudor ſequi ſolet, qui moderato cubiculi calore & omnis afflantis aëris evitatione conſervari debet.

Si vero ſumpto hoc remedio prius dicta non compareant ſymptomata, de ejus effectu ſecuri nequaquam eſſe poſſumus, quapropter hoc in caſu poſt 24. horarum intervallum remedium repetendum aut etiam majori quam pridie doſi porrigendum, nec non dicta prius methodo æger tractandus eſt.

Symptomata in mittenda urina, perceptique in abdomine dolores brevi ſponte ſua ceſſant, præcipue, ſi ægro poſt 24. horas a ſumpto hoc remedio emulſio ex amygdalis dulcibus vel cremor hordei aut oryzæ propinetur, in ſcopum hunc quoque

reme-

remedium Nro. 15. admodum bene conducit.

Utprimum induſium ſudore madet, illico ac corpore aufferri & vel flammis tradi vel acri lixivio aut aqua, in qua ſapo niger ſolutus eſt, iteratis vicibus ſedule lavari debet.

Vulnus vero eadem, qua prius dictum, ratione tractandum aptisque remediis multas per hebdomadas in copioſa ſuppuratione conſervandum eſt.

Scarabæi hi etiam in pulvere partitis parvis doſibus omni vel alterna hora exhiberi poſſunt tamdiu, donec recenſita prius ſe manifeſtent ſymptomata, pro quorum majori minorive vehementia pulveres continuandi, minuendi vel prorſus reponendi ſunt.

Pulverem hunc præparandi methodus ſequens eſt.

Scarabæorum exſiccatorum grana 15. teruntur in mortario marmoreo in pulverem, cui additur nitri drachma una, & poſthac tota maſſa in 10. doſes dividitur; datur omni hora talis doſis ſuperbibendo decoctum radicis altheæ vel florum

Ver-

Verbaſci aut aliud ſimile decoctum emolliens.

Sumptos hos pulveres eadem ſequuntur ſymptomata ac prius recenſitam methodum, niſi quod poſt hos tardius nec tanta cum vehementia ſe manifeſtare ſoleant, verum idcirco etiam hoc pulvere, ni exorbitent ſymptomata, in tertium uſque diem ſæpe continuandum eſt, donec urina excernatur cruenta, quo facto denuo ita procedendum eſt, uti prius adhibito electuario dictum fuit.

Hæc triplex medendi methodus optima eſt & hactenus ſecuriſſima in prophylaxim metuendæ poſt morſum inflictum rabiei caninæ.

Quod autem erumpentem & ipſam perfectam rabiem caninam medendi methodum concernit, ſequentibus dicetur.

Si ex ignorantia vel negligentia nulla cura prophylactica adhibita fuit, morbusque primis ſibi propriis ſymptomatibus (uti ſunt: vertigo, dolores rheumatici artuum in plaga præcipue demorſa, ſtrangulatio colli, inquietudo cum ſuſpiriis &c.) erumpit, illico medicus & chirurgus advocandi

ſunt,

ſunt, ut ſine mora miſeris his auxilium adferant.

Æger mox in ſeparatum cubile moderate calidum deponi, curaque haberi debet, ut continuo animo hilari maneat. parsque demorſa methodo ſæpius recenſita tractetur.

Ratione curæ internæ medicus vel chirurgus unam ex triplici prius dicta methodo illico adhibere debet. Selectus unius aut alterius hujus methodi virorum ſcientia & experientia præditorum judicio absque diſcrimine relinquitur, ſiquidem omnes tres memoratæ medendi methodi ob felices ſucceſſus comprobatæ ſint.

Attamen utplurimum commendari debent *frictiones mercuriales* & quidem tam in parte demorſa, quam circa collum, præcipue circa colli vertebras, in quarum medulla ſpinali & in ortis exinde gangliis noviſſimæ obſervationes inflammationes ſanguinisque infarctum, fortaſſis tanquam veram hujus morbi ſedem in cadaveribus detexere.

Illico pro qualibet frictione ſumitur unguentum mercuriale ad magnitudinem nucis juglan-

juglandis & tamdiu cuti infricatur, donec unguentum penitus diſpareat.

Doſis quoque pulveris Nro. 5. dupla quantitate adminiſtratur, ut eo citius ſat magna copia mercurii ingeratur corpori brevique ptyaliſmus excitetur; ſecus enim morbus hic anxie cunctando omni momento vehementior evadit & incurabilior.

Præterea multum potulenti calidi ex radice graminis, altheæ, floribus ſambuci vel arnicæ, (de quibus hoc in morbo multum boni ſperare licet,) ægro porrigendum eſt.

Præſente jam ptyaliſmo vel diarrhæa ratione prius memorata procedendum eſt.

Si vero hæc remedia (exacte licet & continuo adhibita ſint) non brevi levamen adferrent, quin potius morbus exaſperaretur, ſpaſmique vel convulſiones ſupervenirent, præter hanc medendi methodum adhuc alia in auxilium vocanda ſunt remedia.

Quare præter priora ſecundum vehementiæ circumſtantiarumque gradum omni bi- vel trihorio remedium Nro. 7. vel 8.

ſumi

ſumi & ſi poſſibile ſit, ſimul vaſculum Nro. 9. deſuper potari debet.

Acetum quoque horrido hoc in morbo optimo cum effectu adhibitum fuit; hinc in cubili, in quo æger decumbit, vapor aceti continuo foveri, interne vero remedii Nro. 7. vel 8. loco, illud, quod Nro. 10. vel 11. recenſetur, exhiberi debet.

Quod ſi extra ordinariæ anxietates vehementesque convulſiones vel ſpaſmi accedant, opium ab omni ævo ſalutares produxit effectus. In ſimilibus caſibus remediis *ſub Nro.* 7. vel 8. adhuc duo, tria ad quatuor vel quinque grana uſque opii adduntur, & eadem qua prius ratione exhibentur.

Recentiores docuerunt obſervationes & confirmarunt etiam folia Belladonnæ multum conferre ad hydrophobiæ curam. In initio ſolum in pulvere ad granu duo de die exhibita ſunt, tandem vero doſis ejus ad grana quindecim de die aucta eſt. Data itaque occaſione remediorum Nro. 7. & 8. loco folia hæc experiri remediumque Nro. 12. propinare licet attendendo: an non hiſce morbus celerius majorique cum efficacia

im-

impugnetur, ſumme enim adlaborandum eſt, ut tandem ſecurum contra terribilem hunc morbum inveniatur antidotum.

Dato autem caſu, quo ægri præſcripta remedia doſi ſufficienti aſſumere & deglutire non poſſent, enitendum eſt, ut eadem per clyſmata adminiſtrentur; attamen ad quodlibet clyſma duplex vel triplex dicti remedii doſis requiritur.

Igitur memoratis prius ſub cautelis conditionibusque ſelecta quadam medendi methodo proceditur ad notabilem uſque ſymptomatum morbi remiſſionem; tum demum ſenſim a remediis abſtinetur; emulſio tamen cum camphora nec non potulenta attenuantia ſudorem urinamque promoventia per 10. dies ad 15. uſque adhuc continuantur, ut tali ratione venenum penitus e corpore eliminetur; æger hoc ſub tempore continuo adhuc in cubili ſuo morari & præſertim matutino tempore ſumptis potulentis in lecto permanere, ſudoremque leniter promovere debet; ita quoque ſtrictam obſervet diætam cunctaque, quæ corpus animum-

mumve conſternare poſſent, perquam ſedule evitet, oportet.

Si jam cuncta bona cum fortuna procedant, ſi vires increſcant, animus hilaris ſit & omnis expers anxietatis, æger utpote reſtitutus ab omni remedio abſolvi, & ad prius conſuetam vivendi normam reverti poteſt. Pro omni tamen ſecuritate & tranquillitate vulnus adhuc per aliquot hebdomadarum decurſum apertum manansque conſervetur.

Si vero morbus hic cunctis licet probatiſſimis adhibitis auxiliis refrænari non poſſit, tandemque rabies omni ſua cum ferocia erumpat, æger lecto ſuo faſciis alligetur oportet, ne adſtantibus detrimentum inferat, cubile vero ſit obſcurum obſervato in eo ſilentio. Bini adſint Adſiſtentes, qui continuo vigiles cuncta ordinata adamuſſim adimplere debent; omnia fluida & ſingula, quæ miſeri hujus anxietatem augere poſſent, aufferenda ſunt. Neque admittendum eſt, ut ejus amici aut cognati ægro ne ſerenis quidem horarum intervallis nimium appropinquent.

Inte-

Interea frictiones cum unguento mercuriali geminata diligentia bis de die inſtituendæ ſunt. Remedia ſupra recenſita aucta doſi ingerenda, & ſi jam deglutire renuat, per clyſmata (vide Nro. 13.) adminiſtranda ſunt.

Eadem ratione clyſma mercuriale parari poteſt, dum ſcilicet nec interne nec externe mercurius ſufficienti quantitate ingeri poteſt, hoc in caſu clyſma Nro. 14. & quidem cum priori Nro. 13. alternis quatuor vel etiam ſex vicibus per diem adplicatur.

Accidit nonnunquam, ut hac methodo nonnulli ægri etiam in magno hoc rabiei gradu adhuc ſalventur.

Quod ſi tamen cuncta remedia incaſſum tententur, rabiesque ad ſummum vehementiæ ſuæ evehatur gradum, nullaque amplius ſpes ſalutis affulgeat, præcavendum ſaltem eſt, ut ne adſtantibus mordendo aut conſpuendo damnum inferatur.

Amici igitur & cognati removeantur, illæque ſolum perſonæ ægro adſtare permittantur, quæ ſervitio & curæ inſtituendæ neceſſariæ ſunt, ſuaque providentia,

& cautione miſero huic levamen cauſare valent.

Terminata miſeranda hac vita cadaveris ſepultura absque omni funebri pompa & perquam celeriter inſtituatur, lectus vero & omnia quæ defunctus hujus morbi decurſu conſpurcavit, aboleatur, & comburatur, oportet.

Hæc eſt Rabiei caninæ adumbratio, ejus origo, exiſtentia, medendi methodus, & tandem exitus.

Ex his patet:

1mo. In hominibus veram rabiem caninam ſponte ſua non naſci, ſed per morſum animalis rabidi communicari; conſequenter homines ab hoc terribili morbo ſemper immunes permanere poſſe, ſi quidem quilibet canis vel quodvis aliud animal rabie infectum aut ejus ſaltem notabilia ſigna manifeſtans illico trucidaretur & e medio tolleretur.

2do. Quod ſi tamen eluſa omni vigilantia hominum quisquam morſu tentaretur, multis in ejusmodi caſibus ſola inſtanti & debita vulneris tractatione malo huic omnino obicem poni, demorſumque omni pericu-

riculo liberum reddi poſſe; nec non methodum vulneris cauſticam adurentemque illico poſt morſum inflictum debite inſtitutam tutiſſimum præſervandi præcavendique eſſe remedium.

3tio. Si morſus magnus ſit, ſi pluribus in corporis plagis inflictus ſit, ſi tractatio externa tarde, aut non debito ordine inſtituta fuerit, atque exinde aliquam veneni in ſanguinem reſorptionem factam fuiſſe conjiciatur, præter externa remedia etiam interna in auxilium eſſe vocanda.

4to. Multiplici obſervatione conſtare mercurium, cantharides, Meloes ſcarabæos rabiem caninam tam prævertendi quam curandi ſcopo remedia eſſe cunctis aliis præferenda.

5to: Præter hæc tamen Camphoram, Moſchum, Opium, Acetum, Belladonnam ſæpe ſalutares ſeſe in hoc morbo præbuiſſe.

6to. Quodſi morbus amplius refrænari non poſſit, ægerque quam certiſſimæ neci ſuccumbere cogatur, eo omnis convertenda eſt ſolicitudo, ut ne adſtantibus mor-

dendo noceat, & terribile hoc malum in plures propagetur.

5mo. Optandum tandem eſſet, ut ulteriores inhiberentur curæ illis, qui in hoc morbo arcana ſeſe poſſidere jactitant, & hoc ipſo credulam nimis plebem ac debito uſu veræ curandi methodi abalienant. Siquidem triſtiſſima docuere exempla ſola confidentia in ejusmodi ita dicta arcana & res nihil minus quam miracula præſtantes habita morbum absque impedimento ſuos feciſſe progreſſus, veram medendi methodum neglectum eſſe, atque ita tot homines triſtiſſimas ſuperſtitionis fraudisque pernicioſiſſimæ victimas evaſiſſe.

F o r m u l æ.

Nro. 1.

℞. Spir. ſal. ammoniac.
lavand. Phar. Auſt. Prov. q. v.

Nro. 2.

℞. Camphor. gr. j.
nitr. pur. gr. vij.
pulv. hb. anagal.
fl. purpur. gr. xx.
M. f. pulv. pro doſi.

Nro. 3.

℞. Æthiop. mineral. dr. j.
tere in mortar. marmor. in pulv. tenuiſſ. ſenſim addendo:
roob ſambuc. Unc. jv.
—— juniper. Unc. ij.

Nro. 4.

℞. Cremor. tartar.
pulv. rad. jalap. aâ gr. XL.
m̄.
Fiat pulvis pro doſi.

Nro. 5.

℞. Mercur. dulc. gr. vj.
camphor. gr. jv.
nitr. pur. gr. xx.
m̄. f. pulvis.
Divid. in doſes duas, mane, ac veſpere ſumendus unus.

Nro. 6.

℞. Pulv. rhei elect. gr. XL.
d. pro doſi.

Nro. 7.

℞. Camphor. gr. x.
flor. ſulphur. gr. xx.
mel. q. ſ. ut ſiat bolus pro doſi ſumendus.

Nro. 8.

℞. Moſchi gr. x.
flor. ſulph. gr. xx.
mel. q. ſ. ut fiat bolus pro doſi.

Notandum. Remedia ſub Nro. 7. & 8. nunc dicta etiam ſine melle forma pulveris exhiberi poſſe.

Nro. 9.

℞. Rad. valer. ſylv. dr. j.
coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
colatur. lib. j. adde:
Mellis Unc. j.
m̄.

Nro. 10.

℞. Acet. antiſept. Phar. Auſtr. Prov. Unc. vj.
Dentur omni bi- aut trihorio duo cochlear.

Nro. 11.

℞. Camphor. dr. j.
ſpir. vin. rectificatiſſ. gtt. xx.
tere invicem in mortar. vitr.
dein adde:
pulv. ſach. albiſſ. Unc. ij.
exacte invicem miſtis & continuo terendo ſenſim adde:
aceti vin. bon. Unc. x.
m̄. d.
Sumat omni hora cochlearia duo.

Nro. 12.

Nro. 12.

℞. Pulv. hb. Belladonn. gr. x.
ſachar. albiſſ. dr. ij.
Invicem bene trita & miſta dividantur in doſes V. ut quælibet doſis ſit gr. xxvj.

Sumatur mane, ac veſpere pulvis unus.

Nro. 13.

℞. Flor. arnic. Unc. j.
infund. in aq. ferv. lib. jß.
ſtent adhuc vaſe probe tecto per ¼ circiter horæ, tandem colat. adde:
camphor. duabus Unciis mucilag. gum. arabic. bene ſubact. dr. ij.
m̄.

Nro. 14.

℞. Pulv. gum. arab. Unc. j.
ſolve in
aq. ebullient. Unc. viij.
dein adde:
mercur. dulc. dr. j.
opii gr. ij.
m̄.

Nro. 15.

℞. Mucilag. gum. arab.
ſyr. diacod. aâ Unc. j.
aq. deſtillat. ſimpl. Unc. jv.
m̃.
Sumat ſæpe unum vel duo cochlear.

De Febribus intermittentibus.

Febres dicuntur intermittentes, quæ poſt plurium horarum decurſum penitus quidem ceſſant, verum iisdem denuo ſtipatis ſymptomatibus alternatim revertuntur.

Has febres vulgus appellat frigidas, quia ſingulos earum paroxyſmos majus minusve concomittatur frigus, etſi nequaquam inficias eundem ſit dari intermittentes, quarum paroxyſmi ſine omni horrore aut frigore præg reſſo mox a calore inchoant.

Omni quidem anni tempore occurrunt, vere tamen & autumno omnium frequentiſſime.

Vernales utplurimum curatu faciliores ſunt, quam autumnales.

Si

Si ſingulis diebus paroxyſmus febrilis revertatur, febris dicitur QUOTIDIANA.

Ubi binos inter paroxyſmos æger diem unum febre vacuum habet, TERTIANA ſalutatur.

Et qui binis diebus duos inter acceſſus liber eſt, QUARTANA laborare dicitur.

Sæpe numero contingit, ut paroxyſmus febrilis hominem invadat, verum ſecundæ diei ſymptomata ab illis primæ diei penitus differunt, ita tamen, ut prima dies cum tertia, & ſecunda cum quarta &c. in ſimilitudine ſymptomatum plane conveniant; hæc ſpecies TERTIANA DUPLICATA audit.

Febris intermittens REGULARIS eſt, dum paroxyſmi ordinate & cum iisdem ſemper redeunt ſymptomatibus, ſi autem nunc anticipent, nunc retardent aut alia ſemper concomitentur ſymptomata, febrem nominant IRREGULAREM; hæc paſſim priore deprehenditur pertinacior.

Sæpe ægros ſubito paroxyſmus adoritur febrilis, ſæpiſſime quamdam prius advertunt laſſitudinem & oſcitare incipiunt, ſequitur lenis horroris vagi per dorſum ſenſatio,

ſatio, extrema pallent, liveſcunt ungues, venæ ſubcutaneæ evaneſcunt, pulſus contrahitur, parvus evadit & admodum celer, ſimul de frigore & horrore in partibus totius corporis externis, tandem & internis conqueruntur ægri, tremunt totis artubus, dentibus ſtrident, anguntur valde, ſiti torquentur, cibos faſtidiunt, ſæpe bilioſa & mucoſa vomunt, nonnunquam etiam vehementiſſima affliguntur cephalalgia.

Hæc ſymptomata quandoque admodum valida per aliquot horarum tempus perdurant, nonnunquam tamen & mitiora ſunt & breviora.

Frigore remittente pulſus ſenſim elevatur, evadit liberior plenior & fortior, facies rubeſcit & æger per totum corpus de calore ſicco cum ſiti querelas movet, tuncque non raro capitis augetur dolor. Si febris nimia ſit, deliria quoque accedunt aut artuum ſubſultus & convulſiones.

In his & diurnitas & vehementia variare ſolet; imminuto tandem calore ſicco cutis incipit ſuffundi madore, ſudorque utplurimum ſequitur levans, ita finito paroxyſmo pulſus ad ſtatum redit naturalem & æger

quadam

quadam laſſitudine excepta bona valetudine fruitur.

Hac ratione febris intermittentis regularis decurrit paroxyſmus.

Irregulares autem febres aut aliis aſſociatæ malis varia adhuc incommoda poſt ſe finitis relinquunt paroxyſmis.

In ſtadio frigoris potus frigidus ſemper nocet, ſed multum de potu tepido attenuante *ſub Nro.* 1. 2. 3. æger bibat, oportet, in lecto bene tectus ſe contineat, quo corpus citius incaleſcat & perſpiratio promoveatur.

Succedente ſtadio caloris ſtragula caute & ſenſim minuenda ſunt, ac pro vehementia febris ægro potus, ac in febre continua, refrigerantes, medicamentaque *ſub Nro.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. adminiſtranda ſunt.

Niſi calor nimius fuerit, potus ſupra dicti ſufficiunt, quæ & conveniunt erumpente jam ſudore; licet enim hunc leniter promovere, nunquam tamen calidis extorquere medicamentis.

Quodſi contingat ægrum in paroxyſmo febrili vomere, multum aquæ tepidæ haurien-

riendum ad facilitandum vomitum propinetur.

Cauſa febrium intermittentium communiter in ventriculo hæret aut inteſtinis, aut quædam viſcoſa bilioſa & acris materies eſt reliqua infarciens viſcera abdominalia & ſuis in functionibus turbans. Quare mox in principio harum cauſarum habenda eſt ratio ſolicite.

Si igitur quædam onerati ventriculi habeantur indicia, ſi adſint nauſeæ, vomituritiones, oris amaror & viſcoſitas, emeticum *ſub Nro.* 11. 12. 13. 14. propinandum eſt, hac tamen cum cautela, ut emetici actione ante novi invaſionem paroxyſmi terminata corpus in perfecta quiete conſtitutum ſit.

Eadem circa purgantia obſervanda ſunt, quæ neceſſario ſemper requiruntur, dum ventriculum ſaburra infarctum eſſe ſignis non ſufficientibus conſtat, atque ideo etiam deeſt ſufficiens emetici exhibendi ratio. Optime conveniunt purgantia Nro. 6. 15. 16. 17. 18. recenſita, jungendo his attenuantia & amaricantia decocta *ſub Nro.* 1. & 3. exſpectandoque ſequentem paroxyſmum,

mum, qui plerumque mitior eſt præcedenti.

Haud raro unicum emeticum vel purgans jugulandæ febri ſufficit.

Nihilominus tamen ſæpius accidit, ut poſt adhibita hæc remedia ſequens paroxyſmus æque violentus vel adhuc fortior ſit priori, præſertim ubi febris cauſa jam evaſerit & pertinax & inveterata.

Si hiſce adhibitis adhucdum ſuperſint indicia ſaburræ cujuscunque ventriculum aut inteſtina aut utraque gravantis, denuo emeticum aut purgans obſervatis tamen iisdem ſemper cum cautelis propinandum eſt.

Imminutis vero præſentis ſaburræ indiciis ab hoc medicamentorum genere abſtinendum eſt, ſolisque ſalibus mediis & decoctis amaricantibus malum committitur, quorum uſu continuato alvus ſat libera retinetur & præſentibus forte viſcerum obſtructionibus ac infarctibus reſerandis cauſa febris radicitus ſæpe auffertur.

Tempore igitur intercalari pulvis Nro. 6. 19. exhibetur aut remedium Nro. 20. 21. cum copioſo *ſub Nro.* 1. & 3. deſcripto potu ſumendum eſt.

Dum

Dum ſequentes febriles inſultus continuo vehementia decreſcunt, medicamenta haudquaquam mutanda ſunt, ſed in eadem pergitur curandi methodo, donec omnis paroxyſmus penitus exulet, attamen nullis etiamſi revertentibus febrilibus inſultibus per aliquod temporis ſpatium hæcce minori doſi continuanda ſunt medicamenta, ne quid in corpore forte relictum recidivæ anſam dare poſſit.

Hac methodo plurimæ vernales & non nimis pertinaces autumnales feliciter fugantur febres.

Bona formatur prognoſis, ſi paroxyſmorum vehementia minuatur ſimulque circa oris labia & nares veſiculæ aut parvæ puſtulæ appareant.

Rariſſime quidem in cura febrium intermittentium venæſectione opus eſt, eadem tamen in vernalibus præſertim prætermittenda non eſt, ſi ſubjectum fuerit plethoricum robuſtum & juvenile, ſi magnum in paroxyſmo calorem & ſitim experiatur æger, ſi difficulter reſpiret, deliret &c. ſecus hæ facile in acutas continuas tranſire amant. Contra autumnales absque urgente

nimia

nimia plethora venæſectio reddit pertinaciores, ægris longe majorem debilitatem inducit & ſcorbutus & hydrops malæ curandi methodus ſequelæ ſunt frequentiſſime.

Quod ſi hucusque deſcripta curandi ratio ſufficiens non ſit, paroxyſmi ſua vehementia & duratione augentur, ægri vires perduntur, ex quibus nonniſi multa pedisſequa mala exſpectari poſſunt.

In ſimili igitur caſu brevi ad corticem peruvianum confugiendum eſt vel maxime, ſi æger plures jam paroxyſmos perpeſſus ſit, primæ viæ ſufficienter purgatæ & infarctus ac obſtructiones viſcerum per ſalia media aut alia ſolventia remedia penitus ablata ſint.

Tempore duos inter paroxyſmos medio corticis peruviani ad minimum Uncia una propinari debet adultis, cum minor doſis ſæpe plane nil præſtet, aut febrim ſaltem nonniſi imperfecte jugulet, quæ idcirco aut brevi iterum revertitur aut homines illi lanquidi evadunt cum pallida & luride calorata facie & ſine omni appetitu, pulſum celerem habent & debilem, ſæpe de tenſio-

tenſionibus in hypochondriis querelas movent, abdomen inflatur & alvus obſtructa eſt, formanturque vulgo ſatis notæ viſcerum obſtructiones, quæ frequentiſſimi ſunt febrium non bene curatarum effectus, quos haud vidiſſes, ſi cortex debita doſi adminiſtratus fuiſſet; atque hæc eſt ratio, cur cortex peruvianus paſſim pro noxio remedio perperam proclametur.

Etiamſi mox poſt exhibitam primam Unciam nullus ultro redeat paroxyſmus, corticis tamen uſui ſuperſedendum non eſt, ſed oportet, ut biduo adhuc aut triduo æger Unciam ſemis aſſumere continuet, quæ doſis ſucceſſive magis, magisque minui poteſt, antequam penitus omittatur.

Hac ratione non ſolum febris & ipſa præcavetur recidiva, verum etiam ægri viribus ſuis citius recuperatis alacres brevi iterum ad ſua revertuntur munera.

Interdum accidit, ut poſt primum corticis peruviani Unciam ſumptam paroxyſmus febrilis non emaneat, quin imo revertatur validior; nullatenus attamen grave aliquod aut periculo plenum eſt ſignum, denotat ſolummodo altas febrim egiſſe radices,

dices, quapropter corticis peruviani eandem aut una alterave drachma imo integra ſemiuncia auctam doſim proximo tempore intercalari repetere convenit, quam utplurimum optatus ſequitur eventus. Profecto nihil mali a larga corticis doſi metuendum eſt, ſi ventriculus & inteſtina antea bene fuerint expurgata, nec non viſcerum infarctus ſublati aliave mala emendata; ſæpius certo in parciori quam largiori corticis hujus quantitate ſubminiſtrata peccatur.

Quouſque vero corpus, primæ præſertim viæ ab omnibus ſordibus depuratæ non fuerint, nec præſentes reſolutæ obſtructiones, a cortice peruviano penitus abſtinendum eſt.

Dantur tamen caſus, ubi æger validiſſimis paroxyſmis mirum in modum debilitatur, mala continuo ſymptomata augentur, multumque periculi portendunt.

His in circumſtantiis periculum prævertere oportet, moxque corticis auxilio febrem jugulare, quo in futurum cæteris malis medendi tempus lucretur opportunum.

Febre ſemel ablata aut ſaltem notabiliter imminuta corticis uſus intermittendus eſt & alia præſentibus indicata ſymptomatibus danda ſunt remedia.

Si tunc ægri cacohymia tenaci pituitoſa laborare obſerventur, quæ vel maxime inteſtina, cæteraque abdominis viſcera gravet, iterum ad ſolventia amaricantia alvumque leniter ducentia remedia confugiendum eſt. In hoc caſu etiam antea dicta medicamenta *ſub Nro.* 3. 19. 20. 21. magno cum fructu uſuveniunt. Quodſi vero crura ſimul aut aliæ intumuerint corporis partes, pauca urina excernatur lenia diuretica Nro. 22. 23. interponere ſicque procedere convenit, donec omne malum ablatum ſit.

Communiter accidere ſolet, ut ſub horum medicamentorum uſu febris revertatur, ſed expulſa jam omni ex corpore cacohymia aut pro plurima ſaltem parte imminuta ipſa mitior redit, aut ſi ægro etiam male cedere videretur recidiva, facilius iterum & tutius cortice peruviano profligatur. Quodſi quis poſthac etiam corticis uſum continuandum eſſe crederet, medicamenta ſolventia Nro. 24. adjungenda forent.

Eadem

Eadem medicamenta alternatim porrigenda ſunt iis, qui præter, quod gravi ac periculoſa febre excrucientur, ictero ſimul laborant, nec non hypochondriorum indurationes ac obſtructiones ſentiunt.

Febres quotidianæ & tertianæ duplicatæ adeo interdum ſuos prolongant paroxyſmos, ut primo vix finito aut imminuto paroxyſmo alter mox inſequatur.

Has febres a continuis remittentibus vix diſcernas, tanta eſt earum ſimilitudo, quoniam ſequentis paroxyſmi frigus nec advertitur ſæpe aut brevis tantum percipitur horripilatio, quam calor jam incipiens opprimet, qui pariter nullo notabili ſudore terminatur.

Ejusmodi febrium genus obſervare eſt tempore vernali ſæpiſſime, cujus curandi ratio in principio ab ea febrium continuarum nullatenus differt.

Sæpius etiam accidit, ut factis neceſſariis venæſectionibus exhibitisque remediis refrigerantibus, alvum leniter moventibus totus permutetur febris decurſus & febris quotidiana aut tertiana regularibus ſeſe paroxyſmis declaret: hoc in caſu æger ea-

dem, qua ſupra tractandus eſt methodo, cum ſimiles febres non raro amaricantium ac ſalinorum remediorum uſu facile percurentur.

Interdum tamen evenit, ut hiſce remediis non cedentes & ægro vires adimentes corticis peruviani pro medela requirant uſum.

Cum in quotidianis ac tertianis duplicatis binos inter paroxyſmos admodum brevia habeantur intervalla, debita corticis doſis Uncia integra videlicet ſubminiſtrari non poterit, niſi mox utprimum calor præcedentis paroxyſmi deferbuerit, corticem ingerere incipiamus & quidem ſingulis horis ad drachmam unam, ut ſic integra illa quantitas ante novi paroxyſmi acceſſum abſumpta ſit; quod ſi æger intra hoc temporis ſpatium tantam quantitatem aſſumere non valeat, corticis portio per clyſmata injicienda erit.

Sæpe ægri corticem præ faſtidio pertinaciter reſpuunt, hoc in caſu ſingulo bihorio enema ex decocto corticis Nro. 25. applicandum eſt, hæc enemata parva ſint, oportet, nec quatuor uncias excedant, quo

melius

melius in corpore retineri & a vaſis bibulis reſorberi poſſint.

Si vero contingat, ut hæ febres protractis adeo paroxyſmis nullas plane intermiſſiones habeant, febresque mentiantur continuas, ægrum inſuper in magnam debilitatem conjiciendo periculum augeant, durante quoque febris vehementia cortex ingerendus eſt, quo ſæpe efficitur, ut totus ſubito morbus juguletur.

Sæpenumero febres hæ continuas mentientes, tertianæ præſertim duplicatæ adeo vehementes ſunt ac periculoſæ, ut iis affectus æger in manifeſto ſemper vitæ diſcrimine verſetur.

Ob periculi magnitudinem non raro vix tempus porrigendi medicamentum emeticum aut purgans conceditur, antequam ad corticem peruvianum confugere cogamur.

Tales ægri mox in principio vires amittunt, capite ſunt hebetes, delirant, aut comatoſi jacent, ſtertorem quemdam apoplecticorum in morem edunt, in animi deliquium labuntur interdum, ſudoribus diffluunt toti, reſpirationem difficilem expe-

riuntur & anxiam; his ſi non ſtatim ab initio cortex propinetur, ſequens paroxyſmus lethalis erit, aut putrida exinde naſcetur febris, qua ægris diu admodum, ſi bona fortuna tamen evadant, luctandum eſt.

His in circumſtantiis cortice peruviano largiter utendum eſt, aliaque ſimul putredini reſiſtentia & vires leniter excitantia medicamenta, non ſecus ac in febre putrida adjungenda ſunt.

Cum pernicioſa talis febris tam ſubito jugulari debeat, non raro contingit, ut toto corpore exinde intumeſcant ægri habitum paſtaceum undique referrentes, aut obſtructiones etiam in abdomine nanciſcantur.

Adlaborandum tunc ſolum eſt, ut per mitia roborantia, per lenes frictiones & conveniens nutrimentum amiſſæ reſtituantur vires, quo facto per remedia leniſſima primæ viæ purgandæ ſunt, & demum longo tempore reſolventia, amaricantia ſimulque roborantia remedia *ſub Nro.* 3. 19. 20. 21. 23. 26. 27. 28. 29. 30. in uſum trahenda ſunt.

Tales

Tales febres ſæpe epidemicæ ſunt & eos maxime adoriuntur, qui tenaces pituitoſos acres humores aut abundantem & acrem bilem habent, nec non paludoſa humida & inſalubria loca incolunt; ſæpe etiam obvenit, ut his hominibus ſanitas antea non redeat, quam tum atmoſphæram mutantes in loca magis ſalubria migrant.

Si ætatis tempore poſt longam ſiccam validiſſimam aëris temperiem humida frigida nebuloſa tempeſtas incidat, ſæpiſſime febres intermittentes quartanæ oriuntur pertinaces.

Primi quartanarum autumnalium inſultus plerumque breves tantum & lenes ſunt, poſthac vero vehementiores evadunt & diuturniores, præſertim frigoris acceſſio moleſta fit & per nonnullas horas durat.

Similes ægri utplurimum de ciborum faſtidio, de oppreſſione & anxietate circa præcordia & in hypochondriis conqueruntur, alvum pertinaciter clauſam & inflatum habent abdomen, facie pallent tota, aut flaveſcunt aut maculis fuſcis deturpantur, tempore etiam intercalari ſemper dedolati laſſi & ad ſua officia obeunda inepti ſunt,

nec adeo hilares quemadmodum febre vernali laborantes eſſe ſolent, & ſæpe de dolore ſimul rheumatico in omnibus artubus lamentantur.

Cura eodem modo ut ſupra in febribus quotidianis ac tertianis inſtituenda eſt, præſertim vero in hiſce autumnalibus quartannis remedium Nro. 21. valde conducit primis viis ſive per emetica, ſive per purgantia debite & ſufficienter evacuatis; cumque ægri plerumque debiliores ſint, potus leniter etiam ſtimulantes Nro. 31. 32. 33. 34. ipſis exhibendi ſunt.

Si vero horum aut ſimilium medicamentorum uſu ſufficienti tempore continuato febris non remitteret, ſi debilitas augeretur & ſymptomata redderentur pejora, omni etiam cum circumſpectione ut ſupra cortice peruviano utendum eſt, cui, ſi ægri bene & facile ferant, diu inſiſtendum, ut recidiva autumni tempore maxime metuenda impediatur.

Quandoque febribus acutis, putridis aut inflammatoriis febres aſſociantur intermittentes, faciuntque, ut morbi illi quotidie aut omni alterno, tertio aut quarto die

hora

hora determinata exacerbentur, poſtea vero mitiores iterum evadant.

Si hujusmodi inſultus conſuetæ non cedant curandi methodo, pariter ad corticem peruvianum confugere oportet; hic tamen præſertim in febribus inflammatoriis nunquam exhibendus eſt, antequam per requiſitas venæſectiones ſufficiens ſanguinis quantitas detracta ſit, debiteque humores per remedia reſolventia & refrigerantia attenuati fuerint.

Sæpe etiam intermittentes febres obſervantur Larvatæ, quæ ſub alterius morbi ſpecie quotidie vel omni altero vel tertia die eadem hora ſubito invadunt & jam mox vehementem cephalalgiam jam amauroſim, tuſſim convulſivam, aſthma, palpitationem cordis, hæmoptoen, vomitum, colicam, rheumatiſmum &c. mentiuntur; hæc ſymptomata per plures ſæpe horas continuant, tum evaneſcunt, determinato vero tempore iterum revertuntur.

In principio ſimiles ægri remediis & naturali eorum conſtitutioni & ſymptomatibus accommodatis tractandi ſunt, his ſæpius malum cedit; ſi vero hoc non fieret, etiam

etiam hoc in caſu tutiſſimum remedium cortex peruvianus eſt, quem ſemper doſi ut ſupra ſufficienti exhibere oportet.

In genere omnes regulares intermittentium more aggredientes paroxyſmi cortice peruviano curantur, qui a nulla cauſa manifeſta e. g. ſuppuratione, pituita, acrimonia, ulcere, & ſimilibus originem ducunt; ubi enim ejusmodi cauſæ adſunt, cortex prorſus inutilis eſt.

Sunt vero multi, qui corticem peruvianum aſſumere admodum deteſtantur, morbum perferre & periculo ſeſe exponere malunt, his in caſibus purgatis ſufficienter primis viis tempore intercalari remedia *ſub Nro.* 30. 35. 36. tentari poſſunt. Eadem hæc remedia optatos ſæpe præſtant eff ctus, in quibus cortex ipſe incaſſum adhibitus eſt.

Non raro febres etiam pertinaciſſimæ feliciter ſanantur, ſi ægro dimidia ante paroxyſmi ingreſſum hora medicamentum Nro. 37. aut 38. propinetur, qui tamen priore utuntur remedio, ægri nec debili nec exulcerato pulmone laborent, convenit.

Sæpe

Sæpe ſebres intermittentes inprimis quartanæ obveniunt, quæ paroxyſmos ſine omni ſudore terminantes habent; tales quandoque nec ſupra dicta curandi methodo, nec ipſo cortice peruviano jugulantur; hoc in caſu nil melius deprehenditur, quam ſi æger incipiente frigore pannis laneis camphoræ fumo bene imprægnatis in dorſo fricetur, tandem bene toto tectus corpore potus copioſos reſolventes *ſub Nro.* 1. 3. 23. aſſumat.

Sequitur ad hæc largus per plures horas continuans ſudor, qui plerumque febrim jugulat aut multum omnino mitigat.

Autumno & vere febrium pectoralium magnus cernitur numerus, harum frigus vix attentionem meretur, calor autem ſæpe per tres quatuorve horas producitur, in cujus fine ſudor debilitatem inducens exoritur.

Sitis, pectoris oppreſſio capitisque dolor in ſtadio caloris vehementia ſunt, tuſſis vero non valida.

Terminato paroxyſmo admodum debiles ſunt ægri, reſpiratio brevior, tuſſis non frequens, ſæpius vero nonnihil muci

ex-

excreant, deletumque conqueruntur appetitum.

Cortex peruvianus tales febres in pejus mutat & ægros, cum cauſa in pulmonibus hæreat, magis anxios reddit.

Sæpe autem facile curantur, ſi illis emollientia & expectorationem promoventia remedia *ſub Nro.* 9. 39. 40. copioſe porrigantur; veſpere autem illis medicamentum paregoricum admodum bene conducit.

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Flor. ſambuc.
fol. malv. aâ M. ij.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 2.

℞. Rad. Bardann. Unc. vj.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 3.

℞. Sumitat. centaur. minor
fol. card. Benedict.
flor. chamomil. aâ M. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 4.

℞. Lapid. cancror. gr. xx.
nitr. pur. gr. x.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 5.

℞. Nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſ. Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. vj.
m̄.
Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 6.

℞. Cremor. tartar.
arcan. dupl. aâ gt. xxx.
m̄. f. pulv. p. doſi.

Nro. 7.

℞. Hord. crud. Unc. iij.
aq. pur. Unc. jv.
coq. per ½ hor. colatur. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. aut
mel. pur. Unc. ij.
m̄. pro potu.

Nro. 8.

Nro. 8.

℞. Rad. gramin. Unc. ij.
— acetoſæ Unc. β.
confciſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
dein colat. lib. ij. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 9.

℞. Rad. altheæ. Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. Unc. ij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 10.

℞. Nitr. pur. dr. j.
roob ſambuc. Unc. ij.
ſyr. berber. Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni hora cochlear. duo.

Nro. 11.

℞. Rad. Ippecacuanch. gr. x.
ſal. polychreſt. gr. x.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 12.

℞. Tartar. emetic. gr. iij.
ſachar. alb. gr. x.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 13.

℞. Rad. Ippecacuanch. gr. xx.
tartar. emetic. gr. j.
m̄.
f. pulv. tenuiſſ. pro doſi.

Nro. 14.

℞. Tartar. emetic. gr. vj.
ſolv. in aq. fontan. Unc. vj.
dein adde:
oximel. ſimpl. Unc. j.

Sumat omni ½ hora duo cochlearia, donec probe vomat.

Nro. 15.

℞. Cremor. tartar. gr. xx.
rad. jalap. ſcrup. ij.
m̄. f. pulv.

Nro. 16.

℞. Sal. polychreſt. dr. ij.
aq. laxativ. D. V. Unc. ijβ.
m̄.
Pro hauſtu.

Nro. 17.

℞. Fol. ſennæ Unc. β.
Mann. elect. Unc. jβ.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. miſt. infund. in aq. fervid. Unc. vj.
relinque vaſe clauſo per ½ hor.
dein colatur. exhibe.

Pro hauſtu.

Nro. 18.

℞. Rhei elect.
ſal. polychreſt. aà ſcrup. ij.
m̄.
f. pulv. pro. doſi.

Nro. 19.

℞. Sal. polychreſt. dr. j.
f. pulv. pro doſi.

Sumat omni trihorio talem.

Nro. 20.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. V. rad. aperient. Unc. ij.
aq. menth. Unc. viij.

m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 21.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aâ Unc. jß.

m̄.

Sumat omni bi - aut trihorio parvum cochlear.

Nro. 22.

℞. Lapid. cancror.
aceti colchic. aâ dr. iij.
ſyrup. altheæ Unc. jß.
ſyr. fœnicul. Unc. vij.
liq. terr. fol. tart. dr. ij.
ſpir. nitr. dulc. gtt. xx.

m̄.

Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 23.

℞. Rad. V. aperient. aâ dr. iij.
conſciſ. infunde ſ. q. aq. ſervid.
p. ½ hor. dein colatur lib. ij
adde :
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
aq. fœnicul. Unc. ij.

m̄.

Sumat omni bi - vel bihorio vaſculum.

Nro. 24.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
elect. antifebril. P. P. Unc. ijß.

m̄.

Sumat omni bihorio parvum cochlear. & bibat deſuper vaſculum infuſi. ſub Nro. 3.

Nro. 25.

℞. Cort. peruv. ſelectiſſ. Unc. ij.
ſal. tartar. gr. xx.
conſciſ. miſt. coq. ſ. q. aq. per 2. hor
colatur lib j. adde:
ſyr. flor. chamomil. Unc. ij.

m̄.

Nro. 26.

Nro. 26.

℞. Rad. bardann. Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
dein colatur lib. jβ. adde:
ſyr. fumar. Unc. ijβ.
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 27.

℞. Sapon. venet.
gumm. ammoniac. aâ dr. ij.
M. P. Ruffi ſcrup. ij.
myrrh. elect. gr. xxx.
tinctur. ſuccin. q. ſ.
f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die tres.

Nro. 28.

℞. Sap. venet.
gumm. ammon.
extr. cicut. aâ dr. j.
M. P. Ruff. dr. β.
elixir. proprietat. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Uſus, ut priorum.

Nro. 29.

℞. Rad. graminis Unc. iij.
rad. cichorii Unc. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
ſal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. rad. V. rad. aperient. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bi- aut trihorio vaſculum

Nro. 30.

℞. Extr. arnic. dr. ij.
aq. fœnicul. Unc. viij.
ſyr. menth. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni trihorio duo cochlear.

Nro. 31.

℞. Herbæ rutæ
— ſcordii aâ M. j.
conſciſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
vaſe clauſo per ½ hor.
colatur. lib. ij. adde:
ſyr. contrajerv. Unc. ij.
ſpir. vitriol. gtt. xx.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 32.

Nro. 32.

℞. Rad. imperator.
— leviſtic. aá dr. j.
hb. meliſſ. M. j.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
per ¼ hor. vaſe clauſo
colatur lib. jβ. add:
ſyr. rub. idæi Unc. jβ.
liq. anod. min. gtt. xx.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 33.

℞. Rad. valer. ſylv. dr. iij.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
vaſe clauſo per ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
ſyr. cort. aurant. Unc. jβ.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 34.

℞. Hb. rut.
— meliſſ.
— ſerpill. aâ M. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 35.

℞. Extract. aconit. gr. β. vel j.
ſachar. alb. gr. x.
m̄. f. pulv. tenuiſſ.
Sumat quotidie bis vel ter unum.

Nro. 36.

℞. Rad. arnic. dr. iij.
fol. arnic. Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per. ¼ hor.
dein adde:
raſ. glycyrrh. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
colatur lib. ij. exhibe.
Sumat omni bihorio ij. vel iij. cochlear.

Nro. 37.

℞. Syr. diacod. Unc. β.
aq. flor. rhœad. Unc. ij.
ſpirit. ſulphur. per compan. dr. β.
m̄. f. hauſtus.

Nro. 38.

℞. Pulv. rad. ſerpent. virgin.
ſtib. diaphor. aâ gr. xv.
m̄. f. pulv. pro. doſi.

Nro. 39.

℞. Nitr. pur.
ſtib. diaphor. n̄. ablut. aâ dr. j.
oximel. ſimpl.
ſyr. flor. rhœad. aâ Unc. jß.
aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
m̄.

Sumant omni bihorio cochlear. duo.

Nro. 40.

℞. Rad. altheæ Unc. iij.
fol. altheæ M. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

De Hydrope.

Si tumor œdematoſus aut partes ſingulares occupet, aut per univerſum corpus ſeſe diffundat, aut ſi liquidum in quadam corporis cavo accumuletur, ibique tumorem aut alia mala producat, hydrops adeſſe dicitur, cui nomen particulare a loco, in quo ſedem figit, injungitur, ita habetur

hydrops capitis, pectoris, abdominis, articulorum &c.

Hydrops ſæpe ſubito exoritur, ſæpiſſime vero ſenſim naſcitur & lente, ut vix advertatur, tardum capit incrementum & non raro ægri vita ſummo exponitur periculo.

Si partes corporis internæ ſint ab obſtructionibus & indurationibus liberæ & cæterum bene conformatæ, ſi humores præterea nullo vitio laborent, multum ſperare licet, contra vero male ſemper cum ægro agitur, dum humores acres aut diſſoluti ſunt, aut viſcera corrumpi cœperunt.

Periculoſior etiam plerumque hydrops eſt, ſi pulſus celer ſit & multum ſitiat æger.

Nec minus malum ſignum eſt pertinax & colliquativa & vires ſubtrahens ſuperveniens diarrhæa, ubi tumor œdematoſus non tantum non minuitur, ſed omnia potius ſymptomata exacerbantur.

Quidquid perſpirationem reprimit naturalem aut humidi vaporoſi reſorptionem in cavis corporis internis impedit, regulari ſanguinis circuitu obicem ponit, liquidorum effu-

effuſiones, obſtructiones vaſorum, aut ſcirrhos viſcerum efficit, aut humores nimis attenuat, ſolidasque relaxat partes &c. hydropis cauſam conſtituere valet.

Homines loca paludoſa, humida inhabitantes ſæpiſſime hic morbus adoritur.

Præprimis autem febrium intermittentium autumnalium ſequela eſt, vel maxime ſi obſtructiones, indurationesve viſcerum relinquant, ſive quod diu nimis duraverint ſive quod apta non fuerint tractatæ methodo; ſæpe etiam ex prolongatis morbis acutis, profuſis frequentibusque hæmorrhagiis aut aliis copioſis evacuantibus originem ducit, poſterioribus cauſis etiam conſuetudinem celebrandi frequenter nimis venæſectiones adnumerare oportet.

Hydrops poſt viſceris cujusdam ſuppurationem aut ab alio ulcere maligno aut acrimonia natus utplurimum incurabilis eſt, atque ideo in morbis hecticis pro lethali communiter ſymptomate cenſetur.

Non minus periculi habet, ſi diuturno & maligno ſcorbuto ſuperveniat.

Tres

Tres viæ ſunt, per quas aqua de corpore eliminari poteſt, per ſudorem ſcilicet, urinam & alvum.

Per urinam hæc evacuatio peragitur commodiſſime, verum ſæpiſſime accidit, ut medicamenta diuretica non ſufficiant & idcirco ad purgantia confugiendum ſit.

Cura lenioribus ſemper inchoanda eſt, ut videri poſſit, an ſuum hæc præſtent effectum; quæ ubi ſufficientia non ſunt, ad fortiora ſenſim devenire licet.

Bona ſemper formatur prognoſis, ſi remedia leniora per idoneas vias vim ſuam exerant, etſi omnia non præſtent; hoc enim declarat fore, ut fortiora ſcopum optatum aſſequantur.

Emeticorum hoc in morbo rarus eſt uſus, quæ præſertim viſceribus jam corruptis detrimento forent.

Alvus hydropicis plerumque pertinaciter clauſa eſt, paucam non minus mittunt urinam, quæ rubra, ſubinde turbida eſt, ſubinde craſſam, ſubrubram aut lateritiam deponit hypoſtaſim.

Sæpe refrigeratione prægreſſa, humido imprimis, frigido & nebuloſo aëre in toto

cor-

corpore aut partibus ſolum quibusdan mollis paſtaceus ſplendens œdematoſus tumor ſubito exoritur; de nulla ſimiles ægri conqueruntur moleſtia, nihil interne percipiunt mali, facile reſpirant, appetunt & placido ſomno obdormiunt.

Hujus naturæ tumores decoctis & medicamentis diaphoreticis, leni frictiore pannis fumo aromatico imbutis, lectique tempore facile & cito curantur. Ter de die exhibeatur pulvis Nro. 1. cui ſemper duo vaſcula potus Nro. 2. 3. 4. 5. 6. jungantur, & ſi neceſſe videatur, remedium etam purgans propinari poteſt,

His factis tales ægri per aliqiot adhuc dies in moderato & æquabili calore detineantur, ſubitumque frigus evitent; neque minus illis ſummopere conducit, ſi durante hoc tempore ſemel aut bis quotidie partes antea tumidas pannis fumo aromatico bene imprægnatis leniter fricari curent.

Si magnas hæmorrhagias, frequentes nimis ſanguinis miſſiones, aliasve copioſas evacuationes, diuturnas febres intermittentes aut acutas hydrops ſequatur, qui hinc unice a partium ſolidarum debilitate & laxitate

xitate ortum ducat, nutrimentis facile dige-
rendis ægri vires refocillandæ ſunt, ſimul-
que curandum eſt, ut per lenes frictiones
& remedia ſub Nro. 3. 4. 6. 7. 8. materies
aquoſa mobilis reddita ſine turbis de cor-
pore expellatur.

Non raro hoc intra breve temporis
ſpatium feliciter ſuccedit, totus tumor di-
ſparet, ſed plerumque aliqua adhuc vaſo-
rum partiumque ſolidarum remanet debili-
tas, ut vel tumor facillime iterum recrude-
ſcat. Ad hoc præcavendum reſidua adhuc
laxitas roborantibus & adſtringentibus auffe-
renda & naturale partium ſolidarum reſti-
tuendum eſt robur. Medicamenta Nro. 9.
10. 11. 12. huic ſcopo quam optime inſer-
viunt, quandoque autem ſtatim in princi-
pio hæc remedia adhiberi poſſunt, ubi de-
bilitas tanta adeſt, ut neque diu moras tri-
turare, neque conſequenter a prioribus
remediis effectum aliquem ſperare liceat.

Alvum ſub horum uſu obſtructam le-
nioribus reſerare oportet enematibus.

In quovis tumore œdematoſo, ſive
univerſalis ſit, totumque corpus occupet,
ſive partes ſingulares afficiat, exacte inqui-
ren-

rendum & conſiderandum eſt, an humor in eo contentus fluidus & tenuis, an vero tenax ſit ſpiſſus, gelatinoſus & mucoſus? an tumor colorem habeat naturalem, aut forſitan intenſum ruborem & magnam inflammationem, aut lividas hinc inde nigreſcentes imo purpureas exhibeat maculas.

Humores in tumore œdematoſo contentos fluidos eſſe cognoſcitur, ſi tumorem tangendo cutis facile ſeſe introprimi patiatur, impreſſa autem fovea ſe ſtatim reſtituat: talis præterea tumor calorem plerumque habet naturalem; ſi autem ille tumor paſtaceus ſit & gelatinoſum contineat humorem, tumor utplurimum magis friget, cutis ſe non adeo ſinit imprimi & impreſſæ foveæ veſtigium modo admodum tarde elevata cute deletur-

Reperta materia œdematoſa fluida, ſi nullæ indurationes aut alia mala adſint ſymptomata, ægerque viribus gaudeat, idoneum ſtatim purgans Nro. 13. 14. 15. 16. exhibeatur, quæ, ſi nimis debilia ſint, unum de Nro. 17. 18. 19. 20. 21. tentare licebit.

Ad

Ad hæc remedia magna ſæpe aquæ copia tam per urinam, quam per alvum eliminatur, ægri nequidquam debilitantur, ſed minus graves, magis alacres ſe ſentiunt, tumorque & laxior & minor fieri animadvertitur.

Hoc in caſu dicta purgantia omni tertio aut quarto die repeti poſſunt, atque hac ratione tamdiu continuare licet, donec tumor ex integro diſpareat.

Hæc curandi methodus feliciter ſæpe ſuccedit, inprimis ſi partes tumidæ ſæpius pannis fumo aromatico *ſub Nro.* 22. imprægnatis fricentur, & ægro aliquot vaſcula potus theati Nro. 23. 24. 25. quotidie exhibeantur.

Si vero ad primum aſſumptum purgans ægri ſuas amitterent vires, hoc repetere non licet, donec vires iterum fuerint reſtitutæ, imo potius ægro per remedia diuretica ſuccurrere oportet, ſæpe remedia *ſub Nro.* 7. 8. 26. 27. 28. 29. tam bonum præſtant effectum, ut remedio purgante non amplius opus ſit.

Si autem horum efficacia non ſufficeret, nihilominus omni ſexto aut octavo die

unum

unum ex prioribus purgantibus porrigere convenit; in his enim circumſtantiis nimia meticuloſitas mala eſſet.

Contra, ſi œdematoſus tumor contineret materiem tenacem, mucoſam aut gelatinoſam, ſtatim ab initio requiruntur medicamenta, quæ illam attenuent, reſolvant, fluidam reddant & ſucceſſive per urinam & alvum eliminent, talia Nro. 8. 26. 27. 29. 30. 31. 32. 33. habentur, his ſolis aut ſimilibus medicamentis ſæpe pertinaciſſimus curatur hydrops: atque ſi horum ope urina copioſe excernatur, alvus ſatis libera ſit & tumor decreſcat, aliarum evacuantium uſus ſuperfluus eſt.

Si vero evacuationes hæ non adeo notabiles eſſent, præter has fortius ſubinde purgans ordinandum eſt.

Hæc curandi methodus ſemper fere ſufficiens eſt, ſi viſcera non infarcta fuerint, humores nulla peccent acrimonia, & bonis æger viribus polleat; verum hæc remedia conſtanter ſine interruptione adhibenda ſunt, nec ſtatim mutanda, etiamſi ad

ad unam alteramve doſim optatus eventus non ſequeretur.

Si vero nec diuretica, nec repetita quidquam levaminis adferrent purgantia, malum ſemper omen eſt.

Si medicamenta diuretica, ſtranguriam & ardorem in uretheribus cauſent, æger de ſiti conqueratur, a ſimilibus mox abſtinendum eſt remediis, ſecus toties in renibus aut uretheribus inflammatio contingit, quæ ægrum in magnum conjicit vitæ diſcrimen, hic ardor emollientibus, mucilaginoſia decoctis Nro. 34. 35. 36. auffertur.

Quodſi medicamenta diuretica, lenia, ſimiliaque purgantia incaſſum tententur, fortiora autem anxium & debilem ægrum reddant, doloremque ad ſternum & tuſſim ſiccam excitent, pro malo ſigno habendum eſt, quia fortiora ejusmodi evacuantia detrimentum, leniora vero nullum præſtant emolumentum.

Hoc in caſu hydrops fere ſemper erit incurabilis & tum ſolum convenit urgentia ſymptomata lenibus avertere remediis & morbum reddere tolerabiliorem.

Cura

Cura hæc palliativa in iis etiam locum habet hydropis ſpeciebus, quæ cujusdam ſuppurationis internæ pthiſeosque ſunt effe-ctus brevi plerumque mortem inducentes.

Hydropici ſæpe etiam febre acuta, pleuritide vera, peripneumonia, aut alterius viſceris morbo corripiuntur inflammatorio, ſi tunc viribus conſtet æger, pulſus durus exploretur & plenus, nec adhuc ſanguis tegeneraverit, eadem methodo, ut ſupra de his morbis dictum eſt, tractari debet, convenit illis ſæpius, ſi neceſſitas poſtulet, peculiari nullo ad hydropem habito reſpe-ctu venam ſecare & refrigerantia emollien-tia copia debita exhibere medicamenta; hac ratione ſæpe contingit, ut non tantum ab hoc morbo, ſed ſimul etiam ab hydro-pe ægri convaleſcant.

Si vero hi ægri, cum febre corripiun-tur acuta, valde jam debiles ſint, aut hu-mores acrimonia jam antea diu peccaverint, aut corrupti fuerint, omnes peribunt.

Aquam in cavo abdominis contineri de-tegitur, ſi una manu ad alterutrum abdomi-nis latus pulſetur oppoſitum, & ſub hoc

 undu-

undulatio & aquarum fluctuantium percipiatur motus.

Aſcites medicamentis diureticis aut purgantibus deſcripta ſuperius curatur methodo.

Si vero tumor fortibus etiam & vehementibus diureticis purgantibusve non videatur imminui, ſed ægri vires potius hiſce imminuantur, abdominis paracentheſis inſtituenda ſupereſt.

Abdomine hac ratione ſua aquarum mole liberato mox iterum diureticis pugnandum eſt remediis, & non raro accidit, ut eo tempore bonum præſtent effectum, urinamque tam copioſe promoveant, ut venter non amplius intumeſcat & æger ſanitati reſtituatur.

Sæpe tamen contingit, ut citra omnia adhibita auxilia brevi iterum aquæ in cavo abdominis colligantur, tumoremque priſtinum cauſent cum prioribus anxietatibus.

Paracentheſim idcirco iterare oportet, quod ipſum ſic exigente neceſſitate ſæpius repeti poteſt, intermedio tamen tempore utile ſemper erit tentare, an diuretica aut

pur-

purgantia malo novo avertendo paria ſint, nec ne.

Exempla proſtant, quod poſt paracentheſim ſexies, ſepties, octies repetitam ægri tandem convaleſcere inceperint, ſanitatemque ſine omni recidiva adepti ſint.

Nunquam autem diu differenda eſt paracentheſis, ſed quamprimum optimis & efficaciſſimis remediis exhibitis nullum ſequi videtur levamen, illico ad eam devenire oportet.

Secus æger per diuturnam dilationem debilitatur, abdominis macerantur viſcera, debilitantur integre & ab aquarum ſæpe exulcerantur acrimonia, aut in ipſo pectoris cavo aqua accumulatur, ita perinde malum utplurimum immedicabile redditur.

Paracentheſis abdominis tuto ſuſcipitur & fere ſemper prima ſtatim vice juvat in iis caſibus, in quibus ventris moles eandem longo tempore figuram & magnitudinem ſervat, ut nec minui nec augeri obſervetur.

Etenim hoc ſignum eſt ulteriori affluxui præcluſam eſſe viam, atque ideo in hoc caſu nunquam fere recidiva ſequitur.

Sæpiſſime etiam ad paracentheſim tanquam ad remedium palliativum confugimus & quidem dum nulla jam ſanationis ſpes ſupereſſe videatur, æger autem ob enormen ſui ventris tumorem in tantas anxietates delabatur, ut ſæpe ipſa impediatur reſpiratio.

Hoc remedium anxietates levat, reſpirationem reddit faciliorem, morbumque pro ſat longo tempore tolerabiliorem magis; ex hac etiam ratione ſæpius iterari poteſt paracentheſis.

Facta paracentheſi, ſi aquæ profluentes pellucidæ ſint, nec malum ſpirent odorem, plus ſperare licet, quam ſi turbidæ, fœtidæ profluant & acres.

Sæpe contenta in abdomine materies aquoſa, tenax, mucoſa & gelatinoſa eſt, ut nec per immiſſam canulam effluere poſſit.

Hoc in caſu aut vulneris dilatatio fieri debet aut ſpiſſior hæc materies ſolventibus & attenuantibus medicamentis injectis ita diſſolvenda eſt, ut fluidia reddita evacuari queat. Melius ſemper eſt totum una vice educere liquidum, & idoneis faſciis lei-

pothy-

pothymias aliasque malas præcavere ſequelas.

Si vero effluentibus aquis debilis æger evaderet, animique deliquium pateretur &c. fluxus inhibendus eſt & retinendus, donec penitus æger ad ſe redeat, interea illi lene cardiacum *ſub Nro.* 37. aut aliqua cochlearia vini propinanda ſunt.

In quavis hydropis ſpecie maxime autem in aſcite bene ſtatim initio inquirendum eſt, an nullæ in abdomine aut ſub hypochondriis adſint indurationes.

Si adſint, præter diuretica & purgantia etiam ſolventibus & incidentibus opus eſt, talia *ſub Nro.* 5. 6. 30. 31. 32. 33. 38. & 39. videre eſt, pilulæ Nro. 40. egregium non raro præſtant effectum.

Talia mala curare nonnunquam admodum difficile eſt, ſubinde pertinaciter morbus reſiſtit, ſubinde plane nullam recipit medelam.

Si poſt aliquod tempus urina copioſior reddita obſervaretur, tumorque ſimul œdematoſus minueretur, indurationes molliores & minores evaderent, ſpes ſupereſt &

 uſus

uſus horum medicamentorum continuetur, oportet.

Malum autem eſt, ſi nullum percipiatur levamen & indurationes perſiſtant penitus non mutatæ.

Neque minus etiam ſubinde in hoc caſu paracenthesis, ſi eam partes induratæ non faciant impoſſibilem, inſtitui poteſt, per quam illud quandoque lucramur, ut demum remedia ſolventia majori copia ingeri poſſint, meliusque vim ſuam exerant.

Sæpe in hiſce ea obtingit felicitas, ut tota collectio aquoſa diureticis evacuetur, ſed tum indurationes adhuc in priſtino ſtatu deprehenduntur, nihilominus hos poſtea uſus remediorum Nro. 37. 38. 39. 41. tollet facilius. Si vero exiguum obſervaretur urinæ profluvium, ut vel exinde recidiva metuenda foret, diuretica ſimul in uſum trahantur.

Si hominibus immodico vini aut ſpiritus vini, aut aliorum ſpirituum deſtillatorum uſui deditis indurationes in abdomine naſcantur, atque hydrops ſuperveniat, malum plerumque eſt omnis medelæ expers.

In

In horum cadaveribus hepar & lien duritiei fere lapideæ & penitus exſiccata reperiuntur.

Accidit quandoque, ut hepar in immanem excreſcat molem ſæpeque integram fere abdominis cavitatem repleat; nonnunquam plura in abdomine viſcera indurata ſunt, non raro cuncta in maſſam informem coaleſcunt, ſi hiſce malis hydrops ſuccedat, medelam non agnoſcit, adlaborare tamen oportet, ut medicamentis ſolventibus, diureticis & leniter purgantibus morbi impediatur incrementum & moleſtiſſimis proſpiciatur ſymptomatibus; hac methodo longo ſæpe tempore vita protrahitur.

Purgantia draſtica in hoc caſu non ſecus ac in omnibus indurationibus plane evitanda ſunt.

Non raro obvenit, ut hydropici valida torqueantur ſiti febreque vehementi, his omnia diuretica calida, calidaque purgantia ſummo cedunt detrimento.

Refrigerantia e contrario & emollientia leniterque diureſim moventia ſæpius maxime proſunt, dum etiam ea præ cæteris eliguntur, quæ ſimul refrigerant, ſimul leni-

ter purgant; qualia Nro. 5. 26. 42. videre eſt.

Nec indulgendum eſt, ut tales ægri multum & pro ratione ſitis ſuæ potent; crudele foret nihilominus & malum in pejus rueret, ſi omni potu interdicerentur, verum hic ſemper acidulus ut Nro. 43. eſſe debet.

Multum quoque hos ægros juvat, ſi quid aciduli ſæpius in ore tenentes ſitis vehementiam fallant aut etiam os quandoque poſca colluant.

Contingit ſubinde, ut exhibitis draſticis purgantibus hydropicorum ſubito inflетur abdomen magnasque cauſet anxietates, id mali genus a nimia nervorum irritabilitate & ſpaſmis inde exortis ſuam trahit originem.

Hoc in caſu ægro paregoricum Nro. 44. 45. 46. 47. exhibetur, unde non tantum ſpaſmodica abdominis turgeſcentia ceſſat, verum & tumor ſubſidet multoque melius ſe æger habet.

Sæpe remedia Nro. 48. & 49. apud hydropicos maximo cum fructu adhibentur,

quando

quando cætera diuretica & purgantia inveniuntur inefficacia.

Pulvis Nro. 49. per aliquod dies dari poteſt; aut ſi hoc nimia ægro induceretur debilitas aut anxietas idem omni tertio aut quarto ſolummodo die repetitur.

Hæc remedia in iis præcipue valent caſibus, ubi ſanguinis lentor peccat, viſceraque abdominalia tenaci & mucoſa materie infarcta turgent.

Experientia docuit in diuturnis hydropibus rupta fuiſſe integumenta crurum, & per hæc multum aquæ magno cum ægrorum effluxiſſe levamine, quare etiam in tam pertinacibus frigidis mollibusque tumoribus ſcarificationes quandoque fieri poſſunt, ut hac ratione exitus aquæ concilietur.

Nunquam vero ſcarificationes tentandæ ſunt, ſi magna adſit acrimonia, ſi in tumore lividæ, nigreſcentes, profunde rubentes, ſcorbuticæ obſerventur maculæ; hoc enim in caſu ſcarificationes gangrænam brevi in mortem terminandam inducunt.

Frictiones externe in omni hydrope, ubi nec cutis inflammatio, nec nimia adeſt ſenſilitas, ſaluberrimæ ſunt & curam pro-

mo-

movent, quia coeunti œdematoſæ ſubſtantiæ fluiditatem reſtituunt & in ſanguinis deducunt circulum.

Præprimis autem in aſcite multum conducit bis aut ter quotidie per quadrantem aut dimidium horæ unguento Nro. 50. abdomen fricare.

Sunt autem ægri, quorum cutis nihil oleoſi aut unctuoſi ferre valet, quin ſtatim illinita ſimilibus inflammatur aut puſtulis confeſtim obſideatur; in hiſce ſiccæ tantum frictiones uſuvenire poſſunt.

Sæpe œdematoſus partium ſingularium tumor molliſſimus ſplendens & quaſi pellucidus eſt, huic ſacculi ſale decrepitato aut farina fabarum toſta cum pauxillo camphoræ aut pulvere ex herbis diſcutientibus *ſub Nro.* 51. parato impleti applicari poſſunt.

Si vero tumor in brachiis aut cruribus tenax admodum & durus ſit, calidæ fomentationes *ſub Nro.* 52. inſervient.

Reconvaleſcentes ab hydrope omnibus duris, flatulentis, difficilis digeſtionis cibis, potu copioſo, aëre humido, frigido nebuloſo, habitatione in locis humidis palludoſis ſollicite abſtineant, oportet; frequentiora

cor-

corporis exercitia in libero præſertim puro ſicco aëre inſtituta his maxime neceſſaria ſunt.

Poſt hydropem ſemper fere reconvaleſcentes debiles & laxæ obſervantur corporis conſtitutionis: quamobrem provide admodum agitur, ſi uſu nonnullorum ex ſupra dictis medicamentis roborantibus corroborentur, remedium autem Nro. 53. hoc in caſu maxime proficuum eſt, appetitum enim excitat, promovet leniter urinam; ſimulque corpus roborat.

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Camphor. gr. j.
lapid. cancror. gr. xx.
m̄.

Nro. 2.

℞. Herbæ rutæ
— ſcordii aâ M. j.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. ferv. p. ½ hor.
vaſe clauſo colatur lib. ij. adde:
ſyrup. contrajerv. Unc. ij.
ſpirit. vitriol. gtt. xx.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 3.

Nro. 3.

℞. Rad. imperator.
— Leviſtic. aâ dr. j.
herb. meliſſ. M. j.
conſciſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
p. ¼ hor. vaſe clauſo
colatur. lib. jβ. adde:
ſyr. rub. idæi Unc. jβ.
liq. anod. mineral. gtt. xv.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 4.

℞. Rad. Valer. ſylveſt. dr. ij.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
vaſe clauſo per ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
ſyr. cort. aurant. Unc. jβ.
m̄. Sumat, ut prius.

Nro. 5.

℞. Rad. Bardann. Unc. ij.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque adhuc in ferv. infuſ. p. ¼ hor.
dein colat. lib. ijβ. adde:
ſyr. fumar. Unc. ijβ.
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 6.

Nro. 6.

℞. Rad. V. aperient. aâ dr. iij.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
per ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
liq. terr. fol. tart. dr. iij.
ſyrup. fœnicul. Unc. ij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 7.

℞. Syrup. fumar. Unc. ijβ.
aq. cochlear. Unc. ij.
— flor. ſambuc. Unc. vij.
liq. terr. fol. tart. dr. jβ.
m̄.
Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 8.

℞. Lapid. cancror.
acet. colchic. aâ dr. iij.
ſyr. altheæ Unc. jβ.
aq. fœnicul. Unc. vij.
liq. terr. fol. tartar. dr. ij.
ſpirit. nitr. dulc. gtt. xx.
m̄.
Uſus, ut prius.

Nro. 9.

℞. Pulv. cort. peruv. ſubtiliſſ. Unc. j.
aq. rut. Unc. x.
vin. bon. Unc. iij.
ſyrup. menth. Unc. j.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio cochlear. duo.

Nro. 10.

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. β.
conſerv. ſalv. Unc. β.
ſyr. ſalv. q. ſ.
m̄. f. elect.
Sumat omni bihorio parvum cochleare.

Nro. 11.

℞. Limat. mart. n̄. rubig. Unc. β.
cort. peruv. ſelectiſſ. dr. vj.
— cinnamomi
— winteran. aâ dr. iij.
rad. zedoar. dr. jβ.
m̄. f. pulv. cui affunde vini boni auſtriaci vel alterius ſubacidi generoſi lib. jβ.
relinque per 24. hor. in digeſtione agitando ſubinde, dein colatur. exhibe.
Sumat omni trihorio cochlear. duo, ſenſim augendo doſim, ſi opus fuerit.

Nro. 12.

℞. Limatur. mart. non rubig.
pulv. cort. peruv. aâ Unc. β.
— myrrh. elect. dr. j.
conſerv. menth. q. ſ.
m̄. f. elect.

Sumat omni trihorio ad magnitud. nucis Moſchatæ.

Nro. 13.

℞. Cremor. tartar. gr. xx.
rad. jalap. ſcrup. ij.
m̄.
Fiat pulvis pro doſi.

Nro. 14.

℞. Sal. polychreſt. dr. ij.
aq. laxativ. D. V. Unc. iij.
m̄.
Sumat, pro hauſtu.

Nro. 15.

℞. Fol. ſennæ Unc. β.
mann. elect. Unc. jβ.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. infund. in aq. fervid. Unc. vj.
relinque vaſe clauſo per ½ hor.
dein colatur exhibe.
Pro hauſtu.

Nro. 16.

Nro. 16.

℞. Rhei cleſt.
ſal. polychreſt. aâ dr. ij.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 17.

℞. Rad. jalap. dr. j.
f. pulv. p. doſi.

Nro. 18.

℞. Syr. de ſpin. cervin. Unc. ij.
ſal. polychreſt. dr. jβ.
m̄.
Sumat, pro doſi.

Nro. 19.

℞. Scammon.
reſin. jalap. aâ gr. xij.
ſachar. alb. gr. x.
m̄. f. pulv. tenuiſſ. pro doſi.

Nro. 20.

℞. Reſin. jalap. gr. xx.
ſolv. in ſpirit. juniper. dr. ij.
dein adde:
ſyr. fœnicul. Unc. β.
m̄.
Sumat pro doſi.

Nro. 21.

℞. Maſſ. pilul. extract. cathol. Ph. Prov. dr. β.
f. inde pilul. Nro. V. pro doſi.

Nro. 22.

℞. Succin. crud. Unc. β.
baccar. juniper. Unc. j.
m̄.
f. pulv. groſſus.

Nro. 23.

℞. ℞ad. Polygal.
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 24.

℞. Baccar. juniper. leviter contuſ. Unc. ij.
raſur. glycyrrh. Unc. j.
m̄.

Nro. 25.

℞. Rad. fœnicul.
— Aſparagi
— Petroſel
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 26.

℞. Aq. majoran. Unc. viij.
oximel. colchic. Unc. iij.
liq. terr. fol. tartar.
ſpirit. cochlear. aâ dr. ij.
m̄.
Sumat omni trihorio duo cochlear.

Nro. 27.

℞. Scill. recent. minut. conſciſſ. dr. vj.
ſemin. fœnicul. levit. contuſ. Unc. β.
vini boni acidul. lib. β.
digere per 24. hor. vaſe clauſo igne leni, & colatur. exhibe.

Sumat æger omni trihorio cochlear unum ſenſim augendo doſim.

Nro. 28.

℞. Pulv. milleped. Unc. β.
terebinth. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.

Sumat omni trihorio pilul. tres.

Nro. 29.

℞. Oximel. colchic. Unc. iij.
D. Sumat quater de die parv. coch.

Nro. 30.

Nro. 30.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
pulv. rad. jalap. dr. jß.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aâ Unc. jß.
ſyr. rad. V. aperient. q. ſ.
Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 31.

℞. Extract. arnic. dr. ij.
aq. fœnicul. Unc. vij.
ſyr. menth. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni trihorio duo cochlear.

Nro. 32.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aâ Unc. jß.
m̄.
Sumat omni bi- vel trihorio parvum cochlear.

Nro. 33.

℞. Aq. juniper. Unc. viij.
ſyr. altheæ Unc. jß.
olei tartar. per deliq. dr. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio cochlear. ſenſim augendo doſim.

Nro. 34.

℞. Rad. altheæ. Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
flor. altheæ M. ij.
relinque adhuc in ferv. inf. p. ¼ hor.
colatur lib. ij. adde:
ſyrup. altheæ Unc. ij.
Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 35.

℞. Amygdal. dulc. Unc. jß.
f. emulſio & col. lib. j. adde:
ſyr. papav. alb. Unc. j.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 36.

℞. Rad. alth. Unc. iij.
fol. alth. M. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 37.

℞. Aq. meliſſ. Unc. vj.
ſyr. de cinnamom. Unc. vj.
liq. anod. mineral. gtt. xx.
m̄.

Nro. 38.

Nro. 38.

℞. Sapon. venet.
gumm. ammoniac.
extract. cicut. aâ dr. j.
M. P. Ruffi dr. ß.
elixir. pptis q. ſ.
ut fiant pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. tres.

Nro. 39.

℞. Rad. gramin. Unc. iij.
— cichorii Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur lib. jß. adde
ſal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. rad. V. aperient. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bi-aut trihorio vaſculum.

Nro. 40.

℞. Extr. cicut. Unc. ß.
pulver. ſcillæ
maſſ. pilul. extr. cathol.
Phar. Prov. aâ dr. j.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. tres ſuperbibendo unum aut duo Vaſcula infuſ. ſub Nro. 24. & 25.

Nro. 41.

℞. Cort. peruv. ſeleƈtiſſ. Unc. ij.
ſal. tartar. gr. xx.
conſciſſ. miſt. coq. ſ. q. aq. p. 2. hor.
colatur lib. j. adde:
ſyr. flor. chamomil. Unc. ij.
m̄.

Nro. 42.

℞. Roob ſambuc.
— Ebuli
— de ſpin. cervin. aâ Unc. j.
m̄.
Sumat omni trihorio cochlear.

Nro. 43.

℞. Decoƈt. hord. lib. ijβ.
ſpir. vitrioli dr. jβ.
ſyr. rub. idæi Unc. jv.
m̄.
Sumat vaſculatim.

Nro. 44.

℞. Laud. pur. gr. j.
ſolv. in aq. flor. Tiliæ Unc. jv.
dein adde:
ſyr. flor. rhœad. Unc. j.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 45.

Nro. 45.

℞. Maſſ. pilul. de cynogloſſ. gr. vj.
f. pilul. Nro. duæ
Sumat pro doſi.

Nro. 46.

℞. Laud. pur. gr. j.
lapid. cancror. gr. xv.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 47.

℞. Syr. diacod. Unc. j.
aq. flor. rhœad. Unc. jv.
laud. liquid. gtt. x.
m̄.

Nro. 48.

℞. Rad. gratiolæ dr. ij.
conſciſſ. infund. ſ. q. vin. per hor.
dein colatur lib. j. exhibe.
Sumat omni bihorio Unc. ij.

Nro. 49.

℞. Pulv. rad. gratiolæ dr. ß.
D. pro doſi.

Nro. 50.

℞. Camphor. ſ. q. ſpir. vin. ſubact. dr. j.
unguent. de Arthanit.
——— de alth. aâ dr. vj.
m̄.

Nro. 51.

℞. Herb. majorann.
— roriſmarini
— ſerpil
— Thymi aâ Unc. j.
m̄. f. pulv.

Nro. 52.

℞. Herb. Eupator. canab. Unc. jv.
coq. ſ. q. aq. per hor.
colatur lib vj. fort. expreſſ. exhibe.
Pro fomento.

Nro. 53.

℞. Sumitat. centaur. minor.
——— abſynth.
Baccar. juniper. levit. contuſ. aâ Unc. j.
conſciſ. miſt. infunde ſ. q. vini rubri
per 2. hor. vaſe clauſo
colatur lib. jv. exhibe.
Sumat omni trihorio vaſculum.

De

De Ictero.

Si bilis in ſanguinem regurgitet, per univerſum corpus ſeſe diffundat flavoque illud tingat colore, morbus hic icteri nomine inſignitur.

Nonnunquam ſubito exoritur, ſæpe vero ægri diu antehac varias percipiunt moleſtias, totiusque corporis conqueruntur debilitatem, os ſentiunt amarum, vehementem ſæpius ventriculi dolorem, anxiam ſcrobicul· cordis contractionem, quæ utplurimum verſus hypochondrium dextrum ſeſe extendit, ibique continuum, obtuſum, prementem quandoque & atrociſſimum cauſat dolorem, experiuntur. Tales ægri pectore oppreſſo & nimium anxio reſpirationem ducunt, omnes faſtidiunt cibos, vomendi conatum, ructus valde acidos etiam putridos percipiunt frequentius; tunica tandem adnata flavo deturpatur colore, qui brevi poſthac in corpore univerſo & in ipſa cute capitis capillata conſpicitur; alvus utplurimum limoſa cinereum vel etiam album colorem repræſentat, ſæpe autem alvus pertinaciter clauſa habetur; urina ſubinde

inde craſſa & turbida eſt, aut coloris crocei, ſubinde etiam profunde flava immiſſa tingit linteamina. Tales ægri ſæpe de intolerabili totius corporis pruritu querelas movent, nonnullis pulſus exploratur febrilis, ſæpiſſime vero ſine omni febre habetur.

Qui ſanguinem mucoſum vehunt, palidi & paſtacei ſunt, vel tenacibus, flatulentis, indigeſtibilibus aluntur cibis cum corporis pauco vel plane nullo exercitio, iis frequenter contingit, quod pori biliarii lenta mucoſa materie obſtruantur; conſequenter bilis effluxus impediatur, unde tandem icterus exſurgat.

Communes horum querelæ ſunt ponderis & frigoris in ventriculo ſenſus, hypochondrii dextri tenſio, ciborum nauſea multaque ſæpius vomitu pituita rejecta.

Hoc in caſu ſtatim ab initio purgans, ut Nro. 1. 2. 3. exhibendum eſt, aut ſi ventriculus multo muco infarctus eſſe advertatur, & ipſa natura hoc onere ſeſe liberare contendat, præprimis emeticum *ſub Nro.* 4. 5. 6. requiritur.

Sequentibus diebus lenia exhibentur ſolventia, ut Nro. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

recen-

recenſentur; ſi morbus perinde minuatur, æger ſe levatum ſentiat, his inſiſtendum eſt, donec integra ſanitas habeatur reſtituta.

Si vero levamen notabile non ſequeretur, ſi præſertim nec debita, nec ſufficiens alvi contingeret evacuatio, præter hæc remedia omni tertio aut quarto die unum ex ſupradictis remediis purgantibus propinari poteſt; hac methodo plerumque iſthæc icteri ſpecies perfecte curatur.

Subinde tamen ejusmodi etiam icterus admodum pertinax & rebellis eſt, ſi a muco admodum tenaci & nimis jam condenſato fuerit productus, hoc in caſu remedia Nro. 14. & 15. maxima cum utilitate adhibentur.

Si icterus ab hepatitide vel in febre acuta continua oriatur, nec peculiaria ſymptomata generet, neque ad peculiaria medicamenta confugere opus eſt, quia hic ſemper fere iisdem cedit remediis, qui morbo primario percurando ſufficiunt.

Si vero a labe purulenta hepatis ortum ducat, omnem utplurimum curam reſpuit & ægri hectici conſumpti pereunt, niſi na-

tura

tura aut arte puri exitus procuretur, ut ſupra de hepatitide notatum fuit.

Quando icterus ab indurato hepate provenit, quod cognoſcitur, ſi in hypochondrio dextro, in quo hepar reconditur, duritiem tactus detegat.

Neque minus, ſi ab hac cauſa morbus ſit, remedia denuo ſolventia locum habent, longo tamen tempore in horum uſu pergatur, neceſſum eſt.

Æque hic præſtantem effectum exerunt pilul. Nro. 15. 16. 17. & plurimum integram ad curam confert, ſi externe locus induratus mane ac veſpere unguento Nro. 18. probe fricetur & deinde emplaſtrum de cicuta apponatur.

Ipſa eadem ſuperius memorata ſolventia optimo etiam cum ſucceſſu uſurpantur; ſi icterus febris intermittentis malæ curatæ vel præmature nimis cortice peruviano ſuppreſſæ ſequela ſit, remedium Nro. 13. præcipue conducit.

Sæpe hæc medicamenta febrem denuo revocant, quæ, niſi nimis vehemens ſit, tamdiu relinquenda eſt, donec icterus & cætera eum concomitantia ſymptomata ex inte-

integro ſublata ſint, febris ipſa quandoque uſu horum remediorum continuato ſponte ceſſat, nec corticis vis neceſſaria amplius requiritur, quamvis ad hunc rurſus confugiendum eſſet, ſi febris ægro nimiam debilitatem aut alia mala ſymptomata induceret.

Accidit quandoque, ut nonnulli ab ictero periodice affligantur.

In principio præter tenſionem & obtuſum dolorem in regione hepatis pondus percipiunt, in ſcrobiculo cordis contractionem ſentiunt ſpaſmodicam, ſubitam pectoris anguſtiam conqueruntur, cibos faſtidiunt, vomitus frequentes patiuntur, urinam mingunt turbidam aut croceo tinctam colore, his prægreſſis ſymptomatibus demum oculi bulbus flaveſcit ſucceſſive, qui color tandem univerſum corpus deturpat.

Ad hæc priora plerumque remittunt ſymptomata & icterus ſine multo medicamentorum uſu ſucceſſive diſparet.

Verum elapſis aliquot diebus etiam ſeptimanis aut menſibus priora icteri revertuntur ſymptomata, iterumque ut antea evaneſcunt; plerumque tamen obſervatur ſym-

ſymptomata eo, quo ſæpius redeunt, evadere vehementiora, longius perſiſtere & eo breviori temporis interpoſiti ſpatio ſibi ſuccedere.

Si nunc talia ſymptomata frequenter obveniant, fere ſemper tuto concludere licet, bilem ſpiſſam nimis eſſe & tenacem aut calculos in veſicula fellea latitare.

Dum ejusmodi periodi icterici advertuntur, ægris ſine mora, etſi ſaniſſimi videantur, copioſa decocta ſolventia aut alia ſimilia medicamenta longo tempore ingerenda ſunt, qualia Nro. 8. 9. 12. 13. 19. 20. videre eſt; diligenti horum uſu ſæpius obtinetur, ut periodi ſenſim mitiores evadant, tandemque penitus ceſſent, ſi præſertim in principio ſtatim, antequam multum altas fixit radices, auxilium feratur.

Si vero malum multum jam invaluit, periodi non ſolum non minuuntur, ſed frequentiores & pertinaciores redeunt: verum tamen hæc neceſſaria & ſalutaria ſunt naturæ conamina, quibus calculos felleos inteſtina verſus promovere, ſeque tali ratione ab hoc onere liberare nititur, atque ægros durantibus his periodis aut per vomitum

aut

aut deinceps per alvum calculos tales bilioſos reddere ſæpiſſime obſervatur; non raro autem per ſuperiora, aut quod magis conſultum, per inferiora tenax valde glutinoſa ex viridi fuſca aut gryſea rejicitur materies, quo multum levaminis ægro adfertur.

Quare ſalutares hos naturæ conatus impedire noxium foret, quin potius eosdem, niſi exorbitent, promovere & facilitare oportet.

Vomitus ergo hauſtu aquæ tepidæ addito melle promovetur, ægro præterea decocta emollientia *ſub Nro.* 21. 22. 23. aut medicamenta oleoſa *ſub Nro.* 24. exhibentur, ſimiliaque remedia clyſmatum forma ſubminiſtrantur, frictiones externæ emollientibus inſtitutæ unguentis, fomentaque emollientia oleoſa ſæpe plurimum præſtant.

In hujusmodi periodis diu valde protractis ægri admodum levari ſe ſentiunt, dum in balneum emolliens deſcendere jubentur.

In hoc morbo ſollicite ſemper alvus eſt inquirenda, videndumque, an nulli calculi

culi aut ſuperius deſcripta materia gelatinoſa ſimul excernantur, ſi ſimile quid inveniatur, conſtans ægro levamen promitti poteſt.

Sæpe autem ſymptomata durante paroxyſmo nimis vehementia ægrum in ſummum vitæ diſcrimen conjiciunt, aſſumpta quælibet vomitu ejiciuntur, crudeles dolores anxietatesque adſunt intolerabiles, ideo tunc remedia paregorica *ſub Nro.* 25. exhibere neceſſitas exigit, nec clyſmatis oleoſi omni ſecunda aut tertia hora injectio negligenda eſt, ſi pulſus tenſus, plenus & febrilis foret, ante omnia vena ſecari debet, & tum loco remedii *ſub Nro.* 25. illus *ſub Nro.* 26. aut 27. exhibetur.

Atque cum paregoricis tamdiu pergendum eſt remediis, donec levamen notabile ſubſequi videatur, & dolor ceſſet; ad hæc ægri plerumque in ſomnum labuntur, quo expergefacti multo melius ſe habent.

Hac methodo ægri paroxyſmi tempore tractantur.

Terminato autem præſente periodo omni poſſibili modo futuri præcaveantur, oportet.

Hinc

Hinc iterum reſolventia ſuperiora porriguntur, quæ, ſi facile ferat æger, magna copia & longo tempore aſſumere poteſt.

Sæpe vero decocta reſolventia frigoris aut doloris ſenſum in ventriculo cauſant, ægroque tandem ita diſplicent, ut ea ſufficienti copia aſſumere amplius non valeat, tum æque bono, imo ſæpe meliori cum ſucceſſu & effectu celeriori pilulæ *ſub Nro.* 15. 17. 28. cum vaſculo theato Nro. 29. adhibentur.

Quodſi ſub horum remediorum uſu hypochondria liberari ob inſtructionibus & per alvum multum mucoſæ illius materiei ſecedere cernatur & æger viribus præditus ſit; ſpes ſanationis adeſt.

Sæpe ſub uſu horum remediorum calculi bilioſi in excrementis alvi reperiuntur absque eo, ut ægrum peculiaria infeſtaverint ſymptomata.

Quandoque vero priora ſymptomata iterum redeunt, ſed leniora plerumque neque tamdiu perſtantia.

Dum æger diuturno tempore ab omn penitus paroxyſmo liber manſit, ab uſu medicamentorum etiam deſiſtere licebit.

Quamprimum autem vel leviſſima paroxyſmi ſigna aut quædam in regione hepatica percipiuntur moleſtiæ, mox iterum ad illa refugere oportet & per plures ſeptimanas continuare.

His ægris omnes aquæ minerales & acidulæ vi ſolvente inſtructæ verno præſertim tempore, ut & balnea emollientia reſolventia optime conducunt.

Hac ratione crudelis hic & dolorificus morbus integre ſæpe ſuperatur, ſi vero æger ab uſu tot ſolventium remediorum debilitaretur, per aliquot tempus medicamenta roborantia *ſub Nro.* 30. 31. aſſumere poteſt; in hoc caſu aquæ medicatæ vi roborante donatæ, quales ſunt ſpadanæ, ſtecknizenſes ſat commendari nequeunt; ſimul tamen invigilandum ſemper eſt, ne alvus diu obſtructa maneat.

Qui debili & irritabili admodum nervorum ſyſtemate gaudentes ſpaſmis obnoxii ſunt, iis ſæpiſſime accidit, ut ductibus bi-

liariis

liariis ſpaſmodice contractis icterus excitetur.

Hoc plerumque poſt vehementem iram, ſubitum terrorem aut alium validiorem animi affectum fieri animadvertitur.

In ſimilibus ægris natura ſæpe ſibi ipſi eſt auxilio, leni bilioſa excitata diarrhæa icterus ſine omni medicamento evaneſcit.

Niſi hoc obveniat, clyſmata aut leni purgante Nro. 3. alvum movere, veſpere vero remedium Nro. 26. propinare oportet, quibus rite factis ſæpe celeriter admodum icterus auffertur.

Si vero malum tam cito non cederet, æger ventriculi ſentiret preſſionem, ciboſque nauſearet, remedium Nro. 3. adhuc una vice repetendum eſſet, aut hujus loco pulvis Nro. 7. de die exhiberi poteſt.

Si hepar infarctum obſervaretur & obſtructum, nec hæc affectio hiſce morem gereret remediis, leniter ſolventia Nro. 8. 9. 20. admodum proficua forent, quibus inſiſtendum eſt tamdiu, donec hypochondria ab omni infarctu libera ſint & icterus omnino diſparuerit.

Inſultus hic ſpaſmodicus ſæpe magno junctus eſt dolori, ægri infeſtantur animi deliquiis, anxii tenentur, frequenter vomitu dolorifico afficiuntur & urinam mingunt aquoſam.

His in circumſtantiis remedia Nro. 25. aut 32. citiſſimum levamen adferunt.

Doloribus, anxietatibus ſublatis methodo ſupra recenſita ægri tractandi ſunt.

Sæpe icterus per plures menſes imo & annos durat.

Si ægri nullam præterea quærelam moveant peculiarem, appetitu, bonisque gaudeat viribus & ad munera ſua obeunda apti ſint, magnum periculum non adeſt.

Hoc tamen reſolventibus lenioribus, ſanguinem depurantibus & mitioribus diureticis, ut Nro. 8. 9. ſemper prævenire oportet.

His in caſibus remedia, ut Nro. 19. præprimis efficacia ſunt, ſi majori copia & longo tempore aſſumantur.

Contra ſi icterici famelici ſemper ſint, multum comedant, nihilominus emancientur, viresque amittant, male cum illis agitur,

tur, ſi præſertim pulſus præterea adſit febrilis.

Sæpe non tantum externæ venum & internæ corporis partes ipſa etiam eſſa bile tinguntur.

Ægri quidam ſubinde profunde viridi colore cutim deturpatam gerunt, aut colorem ex flavo nigrum nanciſcuntur.

Si bilis ſanguinis circulum ingreſſa fuerit acris, reſolvit ſenſim ſanguinem, humores penitus corrumpit & febrem ſæpe putridiſſimam generat.

In tali caſu mox in principio magna remediorum *ſub Nro.* 33. 34. quantitas exhibenda eſt, quibus procedendum, donec periculum omne ablatum ſit, prioribus remedium Nro. 35. ſæpe magna cum utilitate adjungitur.

Quod ſi vero hæc medicamenta nec notabilem nec conſtantem morbi emendationem cito efficiant, res plerumque deſperata eſt, maxime tum, cum ægri nigram fœtidam ſimul urinam excernunt aut corrupta & tenacia ſputa exſcreant. Si præterea intumeſcant, copioſæ oriantur hæmorrha-

giæ aut dyſenteria putrida ſuperveniat, lethalia ſemper habentur ſymptomata.

Formulæ.

Nro. 1.

℞. Cremor. tartar. gr. xx.
rad. jalap. ſcrup. ij.
m̄. f. pulv.

Nro. 2.

℞. Sal. polychreſt. dr. ij.
aq. laxativ. D. V. Unc. iij.
m̄.
Sumat pro hauſtu.

Nro. 3.

℞. Rhei elect.
ſal. polychreſt. aâ ſcrup. ij.
m̄.
f. pulv. pro. doſi.

Nro. 4.

Nro. 4.

℞. Rad. Ippecacuanch. gr. xxx.
Sal. polychreſt. gr. x.
m̄.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 5.

℞. Tartar. emetic. gr. ij. vel. iij.
ſachar. alb. gr. x.
m̄.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 6.

℞. Tartar. emetic. gr. vj.
ſolv. in aq. fontan. Unc. vj.
dein adde:
oximel. ſimpl. Unc. j.
m̄.
Sumat omni media hora duo cochlear. donec probe vomat.

Nro. 7.

℞. Cremor. tartar.
arcan. dupl. aâ gr. xxx.
m̄.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 8.

℞. Rad. bardann. Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
dein colatur lib. ijβ. adde:
ſyr. fumar. Unc. ijβ.
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 9.

℞. Rad. V. aperient. aâ dr. iij.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
per ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
liq. terr. fol. tart. dr. iij.
ſyrup. fœnicul. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bi- vel trihorio vaſculum calide.

Nro. 10.

℞. Sal. polychreſt. dr. j.
f. pulv. pro doſi.
Sumat omni trihorio talem.

Nro. 11.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. V. rad. aperient. Unc. ij.
aq. menth. Unc. viij.

m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 12.

℞. Rad. graminis Unc. iij.
rad. cichorii Unc. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur. lib. jß. adde:
ſal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. rad. V. aperient. Unc. ij.

m̄.

Sumat omni bi- aut trihorio vaſculum.

Nro. 13.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aâ Unc. jß.

m̄.

Sumat omni bi- aut trihorio parvum cochlear.

Nro. 14.

Nro. 14.

℞. Gumm. ammon. vit. ovor. ſubact. dr. ij.
oximel. ſquillitic. Unc. ij.
ſal. polychreſt. dr. jβ.
aq. fœnicul. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 15.

℞. Sap. venet.
extr. cicut. aâ Unc. β.
pulv. rhei elect. dr. ij.
ſyr. fumar. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. tres vel quatuor.

Nro. 16.

℞. Extract. cicut. Unc. β.
f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. duas, ſenſim augendo doſim.

Nro. 17.

℞. Sapon. venet.
extr. cicut. aâ Unc. β.
f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die tres.

Nro. 18.

Nro. 18.

℞. Camphor. oleo hyoſciam. ſolut. dr. j.
unguent. de althea Unc. j.
m̄.
d. uſui.

Nro. 19.

℞. Seri lactis vel
lactis ebutyrat q. p.
Sumat pro potu.

Nro. 20.

℞. Aq. meliſſ. Unc. v.
ſyr. fumar. Unc. iij.
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
m̄.
Sumant omni bihorio cochlear. duo.

Nro. 21.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per. ½ hor.
colatur. lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 22.

Nro. 22.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
dein adde:
flor. altheæ M. j.
glycyrrh. raſ. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ½ hor.
colatur lib. ij. exhibe.

Uſus, ut prioris.

Nro. 23.

℞. Rad. altheæ Unc. iij.
fol. altheæ M. j.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 24.

℞. Olei amygdal. r. p.
vitel. ovor. ſubact. Unc. ij.
ſyr. altheæ Unc. ij.
aq. flor. Tiliæ Unc. vj.
m.
Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 25.

℞. Syr. diacod. Unc. j.
aq. flor. rhœad. Unc. jv.
laudan. liquid. ſydenh. gtt. x.
m̄.

Nro. 26.

℞. Amygdal. dulc. Unc. jß.
f. emulſio & colatur. lib. j. adde:
ſyr. papav. alb. Unc. j.
m̄.
Sumat vaſculatim.

Nro. 27.

℞. Nitr. pur. lib. ij.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. Tiliæ Unc. vij.
m̄.
Sumat omni hora cochlear. duo.

Nro. 28.

℞. Sapon. venet.
gumm. ammoniac.
extract. cicut. aâ dr. j.
Maſſ. pilul. Ruffi dr. ß.
elixir. proprietat. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. tres.

Nro. 29.

Nro. 29.

℞. Sumitat. centaur. minor.
fol. card. Benedict.
flor. chamomil. aâ M. j.
glycyrh. Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 30.

℞. Limat. mart. n̄. rubig. Unc. ß.
cort. peruv. ſelectiſſ. dr. vj.
— cinnamomi
— winteran. aâ dr. iij.
rad. zedoar. dr. jß.
m̄. f. pulv. cui affunde vini boni auſtriaci vel alterius ſubacidi generoſi lib. jß.
relinque per 24. hor. in digeſtione agitando ſubinde, dein colatur. exhibe.

Sumat omni trihorio cochlear. duo, ſenſim augendo doſim, ſi opus fuerit.

Nro. 31.

℞. Limatur. mart. non rubig.
pulv. cort. peruv. ſelect. aâ Unc. ß.
Theriac. Diateſſaron Unc. ij.
ſyr. menth. q. ſ.
m̄. f. elect.

Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 32.

℞. Aq. rut. Unc. jv.
ſyrup. menth. Unc. j.
Tinctur. Caſtorei gtt. xx.
laud. liquid. gtt. xv.
m̄.

Sumat omni ¼ hor. cochlear. unum.

Nro. 33.

℞. Decoct. hord. lib. ijß.
ſpirit. Vitriol. dr. jß.
ſyrup. rub. idæi Unc. ij.
m̄.
Sumat vaſculatim.

Nro. 34.

℞. Seri lactis lib. ij.
ſpirit. Vitriol. dr. ij.
ſyrup. diacod. Unc. ij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 35.

℞. Pulv. cort. peruv. ſubtiliſſ. Unc. j.
aq. rut. Unc. x.
vin. bon. Unc. ij.
ſyrup. menth. Unc. ij.
m̄.

Sumat omni bi- vel trihorio cochlear. duo.

De

De Scorbuto.

In ſcorbuti principio communiter partium ſolidarum laxitas imminutaque obſervatur elaſticitas & irritabilitas, quibus fit, ut ſanguis in ſuo circulo non debite promoveatur, indeque vappidus, grummoſus evadat & acrimoniam induat.

Quo magis ſolidarum partium laxitas augetur, eo magis ſanguis a ſua indole recedit, eoque magis ipſius increſcit acrimonia, poſtremo tandem adeo diſſolvitur & acris evadit, ut partes etiam ſolidas arrodat, peſſimas hinc ſequelas & ipſam mortem producat.

Quidquid ſolida relaxat, irritabilitatem minuit, & conſequenter ſanguinis circulum retardat, ſcorbuti cauſa eſſe poteſt.

Quamobrem perſæpe poſt febres intermittentes male curatas oritur; maxime autem in illis regionibus & terræ plagis obſervatur, in quibus atmoſphæra humida, frigida, nebuloſa & impura habetur, ſi præſertim incolæ non ſufficienter corpus ſuum moveant aut indigeſtibilibus, tenacibus, flatulentis alimentis, carnibus aut pi-

ſcibus

ſcibus fumo induratis veſcantur. In humilioribus, recenter exſtructis, humidis ædificiis, in noſocomiis, carceribus aut in urbibus obſeſſis ob impurum, clauſum nec renovatum aërem; ſæpiſſime etiam oritur, ubi ſimul convenientia inprimis autem vegetabilia defficiunt alimenta, aut ubi homines ſtagnantem, vappidam & impuram aquam bibere coguntur, iisdem ex rationibus etiam in caſtris dominatur; mæſtitia, timor, ſomnus immodicus aut protractæ nimis vigiliæ multum ad morbum hunc augendum conferre valent.

Scorbutus plerumque cum peculiari omnium artuum debilitate inchoat, ægri nec ambulare nec ſtare amant, ſed ſemper jacere aut ſedere cupiunt, mane evigilantes membra admodum laſſa & quaſi dedolata ſentiunt, poſtquam vero aliquo extra lectum tempore morantur, dedolatio hæc imminuitur, pulſus debilis eſt & tardus, facies & totum corpus ſæpe pallet, aut terrei coloris evadit, labia inflata, gingivæ conſpiciuntur tumidæ ſanguinem facile fundentes, urina cruda, ſubinde plane fuſca

 eſt,

eſt, cui ſæpe pellicula ſalina innatare viſitur.

Dum morbus augetur, reſpiratio fit difficilis & anima fœtere incipit, pedes intumeſcunt, fuſca redditur facies, in diverſis corporis partibus profunde rubentes lividæ nigreſcentes prorumpunt maculæ, gingivæ in putrilaginem reſolvuntur aut in illis vel labiis aut colli partibus parva enaſcuntur ulcuſcula, quæ ſubito propagata partes vicinas erodunt & intollerabilem fœtorem cauſant.

Tandem malum partes etiam internas aggreditur, malignas ſæpe producit inflammationes, quæ brevi in gangrænam abeunt, quandoque tales ægri nigrum corruptumque tuſſiendo rejiciunt ſanguinem aut profuſiſſimas narium patiuntur hæmorrhagias, ſanguinem cum urina excernunt, aut gravi decumbunt dyſenteria, frequenter admodum toto intumeſcunt corpore, & maculæ profunde rubræ & lividæ a longo tempore jam enatæ nunc in putreſcentia mutantur ulcera, quæ non raro erodendo in oſſeam uſque ſubſtantiam penetrant, adhæc fœtor cadaveroſus exoritur, & brevi ipſa mors adeſt.

Na-

Natura in omnibus provida ad curandum hunc morbum multa variaque produxit remedia, quæ tenacibus, ſpiſſis humoribus attenuandis, acrimoniæ huic mitigandæ, reddendoque partibus ſolidis robori & elaſticitati impertiendæ idonea ſunt.

In principio hic morbus facillime ſæpe ſanatur, quo profundiores autem egerit radices, eo moleſtior fit & quando ſemel integre invaluit & partes internas aggreſſus eſt, curæ ſpes ſupereſt nulla.

Summi autem momenti eſt rite diſtinguere, an ſcorbutus calidæ an frigidæ ſit indolis.

Si æger mox a principio calorem & ſitim conqueratur, ſi pulſus magnus exploretur & tenſus, ſi labia quaſi aduſta ſint & arida aut præ magno æſtu findatur & exinde late proſerpens non tamen profunde exedens ulcus oriatur; ſi gingivæ ardoris, roſionis ſenſum patiantur & coccinei coloris ſint, ſi ulcera labiorum, linguæ, gingivarum, faucium in principio cum plurimo rubore & valido ardore vehementer doleant, ſi æger alioquin alacris & calidi ſit tempe-

ramenti, ſcorbuto huic calidam ineſſe indolem convicti credere poſſumus.

In hujusmodi circumſtantiis nec tanta advertitur debilitas & morbus hic potius ab acrimonia ſcorbutica repagulis ſuis liberata, quam a peculiari fluidorum tenacitate & ſolidorum laxitate ſuam deducit originem.

Hoc in caſu remedia cuncta in ſcorbuto alias proficua, ſed aliquantum calida nocerent: quare tunc temporis talia ſolummodo in uſum vocanda ſunt, quæ æſtum temperant, acrimoniam leniunt, & per urinæ aut alvi vias de corpore eliminant, qualia Nro. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. recenſentur.

Omnia aceſcentia, fructus præprimis horræi maturi cocti, nec non ſucci ex his præparati & decocta, omniaque vegetabilia refrigerantia ut acetoſa, lactuca, endivia, ſpinachia, daucus, rappæ, braſica fermentata &c. in hoc caſu palmam præripiunt cæteris, quæ, ſi ægri ferant, magna copia & longo tempore aſſumant, oportet.

Sub inde tamen ægro venam tundere convenit, ſi cæterum plethoricus pulſum plenum & tenſum habeat, cautos tamen hac in re nos eſſe oportet, ne per ſanguinis detra-

tractionem multum de viribus amittatur; morbus enim hic ſæpe in longum excurrit, unde tamen diſſoluti humores in corruptelam degenerant.

Tales ægri potus calefacientes & cibos aromatibus conditos evitent, neceſſe eſt, nocet quoque carnium eſus, jura tamen carnium addito limoniorum ſucco aut cremore tartari concedi poſſunt, cremor avenæ, hordei & oryzæ cum pauca aceti, ſucci limoniorum aut cremoris tartari quantitate iis admodum conducit.

Hac curandi methodo ſcorbutus calidus ſæpe ſuperatur.

Verum nonnunquam calida hac acrimonia adeo vehemens eſt, ut ſanguinem diſſolvat, parva maligna inflammatoria producat ulcera, quæ non raro gangræneſcentia ægri vires ſummopere proſternunt.

Quamprimum hoc animadvertitur, ſine mora ad ea medicamenta recurrendum eſt, quæ ſanguinis diſſolutioni & putredini reſiſtunt, ægri vires conſervant, augent & metuendam præpediunt gangrænam: ſpiritus vitrioli, cortex peruvianus, camphora inſignes in his caſibus edunt effectus: cuncta

etiam cæterum morbis putridis convenientia medicamenta hic uſum habere poſſunt, videndum ſolum eſt, quodnam ægro medium aptiſſime exhiberi queat & quodnam facillime & optimo cum ſucceſſu ferat, talia Nro. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. habentur; ſi noctes inquietæ fuerint & inſomnes, veſpere ſemper remedium Nro. 18. porrigitur.

Maligna hujusmodi ulcera in ore aut faucibus exorta ita tractanda ſunt, ut agendo de morbis faucium dictum fuit.

Nonnunquam periculoſo tali morbo percurato dolores adhuc rheumatici artuum & diverſarum corporis remanent, cæterum autem ægri bene valent, pulſus ipſis naturalis eſt & vires increſcunt, hoc in caſu unum ex remediis Nro. 8. 17. & 19. exhibendum eſt.

In ſcorbuto frigido æger notabilem calorem non percipit, laſſus eſt, pulſum habet tardum & ſæpius inæqualem, gingivæ liveſcunt aut aquoſo potius tumore turgent, raro adeſt ſitis, ulcuſcula oris neque adeo dolent neque calent, ſed profunde potius rubeſcunt & ſæpius cruſta obducuntur lardacea,

cea, in pedibus aut aliis partibus tumores frigidi œdematoſi obſervantur, maculæ quoque in his tumoribus apparentes nullum caloris ſenſum procurrant, neque tenſæ neque flammei coloris, ſed valde laxæ, profunde rubentes, lividæ aut fuſcæ ſunt.

In principio hoc ſcorbuti genus facillime & breve intra temporis ſpatium curatur, remediaque Nro. 19. 20. utplurimum huic ſcopo ſufficiunt; eouſque in horum uſu pergendum eſt, donec malum penitus jugulatum fuerit.

Si vero altas jam fixerit radices, ſi reſpiratio difficilis ſit & laborioſa, pedes aut univerſum corpus tumeat, fortiora aliquantum deſiderantur medicamenta, ſemper tamen & his in caſibus remedium Nro. 20. experire licebit, de quo ſufficiens ſæpe obtinetur effectus; quodſi autem hoc non foret efficax ſatis, talia exhiberi poſſunt, qualia Nro. 19. 21. 22. recenſentur, quibus communiter etiam pertinaciſſimus ſcorbutus ſuccumbit.

Quodſi vero ſanguis univerſus eo redactus eſſet corruptelæ, ut per ſputa, urinam, alvum ſponte ſua excerneretur, nulla omni-

no ſanationis ſpes ſupereſt, atque tum urgentibus ſolum ſymptomatibus curam palliativam adhibere oportet.

Subinde etiam in ſcorbuto frigido maculæ aut ulcera apparent, quæ brevi in gangrænam abeunt aut putredinem, in hoc caſu remedia Nró. 23. & 24. plurimum proſunt, ſi præſertim ægri magnam præterea copiam de Nro. 17. aſſumere cogantur: idem hoc remedium per ſe ſolum magnæ ſemper in ſcorbuto eſt efficaciæ.

Sæpe hic morbus in efflorefcentiam milliaria mentientem diu perſiſtentem terminatur, aut aliqua ſcabiei ſpecies finem morbo imponens exoritur, verum & hæc ſymptomata longo remediorum *ſub Nro.* 20. 21. 25. úſu integre plerumque auferuntur, maxime, dum ægri eodem tempore de Nro 6. copioſe bibunt.

Nonnunquam autem in poſtremis his caſibus pilulæ Nro. 26. auxilium adferunt, ubi alias omnium medicamentorum vis habetur inefficax.

FORMU-

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Rad. graminis Unc. ij.
— acetoſæ Unc. β.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſ. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 2.

℞. Nitr. pur. dr. j.
roob ſambuc. Unc. ij.
ſyr. berber. Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 3.

℞. Prunor. exſiccator. Unc. ij.
hord. crud. Unc. jβ.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſ. Unc. jβ.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 4.

Nro. 4.

℞. Cremor. tartar. dr. ij.
pulp. prunor.
roob ſambuc. aâ Unc. ij.
m̄.
Sumat ter vel quater de die cochlear. unum.

Nro. 5.

℞. Decoct. hord. lib. ijβ.
ſpir. vitrioli dr. jβ.
ſyr. rub. idæi Unc. ij.
m̄.
Sumat vaſculatim.

Nro. 6.

℞. Seri lactis vel
lact. ebutyrat. q. v.
Sumat, pro potu.

Nro. 7.

℞. Rad. bardann. Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque in fervid. infuſ. p. ¼ hor.
dein colatur lib. ijβ. adde.
ſyr. fumar. Unc. ijβ.
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 8.

Nro. 8.

℞. Cremor. tartar. dr. iij.
conſerv. naſturt. aquat.
——— cochlear. aâ Unc. jβ.
m̄.
Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 9.

℞. Herbæ rutæ
— ſcordii aâ M. j.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. ferv. p. ½ hor.
vaſe clauſo colatur lib. ij. adde:
ſyr. contrajerv. Unc. ij.
ſpirit. vitriol. gtt. xx.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 10.

℞. Camphoræ gr. vij.
mucilag. gumm. arabic. dr. ij.
in mortar. marmor. bene ſubactis adde miſcendo
ſyrup. ribeſior Unc. jβ.
aq. meliſſæ Unc. vj.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio unum vel duo cochlear.

Nro. 11.

Nro. 11.

℞. Camphor. gr. iij.
amygdala. dulciu.
ſemin. melon. aâ Unc. j.
fiat emulſ. l. art. &
colatur lib. jβ. adde:
ſachar. alb. Unc. j.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 12.

℞. Decoct. hord. lib. ijβ.
vin. generoſ. Unc. iij.
m̄.
Sumat vaſculatim.

Nro. 13.

℞. Decoct. hord. lib. ijβ.
ſpirit. vitriol. dr. jβ.
ſyr. rub. idæi Unc. ij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 14.

℞. Pulv. ſubtiliſſ. cort. peruv. Unc. j.
aq. rutæ Unc. x.
vini boni Unc. iij.
ſyr. menth. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 15.

℞. Cort. peruv. ſelectiſſ. Unc. jß.
coq. ſ. q. aq. p. hor.
colatur lib. jß. adde
ſachar. alb.
aq. cinnamom. ſimpl. aã Unc. jß.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio vaſculum.

Nro. 16.

℞. Aq. flor. rhœad. Unc. viij.
ſyr. diacod. Unc. jß.
ſpirit. vitriol. gtt. xv.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 17.

℞. Lact. recent. lib. jv.
vini auſtr. aut alterius ſubacid. Unc. viij.
Bulliant ſimul per momentum dein colloſtro lactis per colaturam ablato ſerum albumine ovorum purifica & exhibe pro potu.

Nro. 18.

℞. Amygdal. dulc. Unc. jß.
f. emulſio & col. lib. j. adde:
ſyr. papav. alb. Unc. j.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 19.

Nro. 19.

℞. Aq. flor. ſambuc. Unc. vj.
ſpirit. cochlear. Unc. ß.
ſucci citr. Unc. ij.
ſyrup. fumar Unc. ij.

m̄.

Sumat omni trihorio cochlear duo.

Nro. 20.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aã Unc. jß.

m̄.

Sumat omni bi- vel trihorio parvum cochlear.

Nro. 21.

℞. Succi recent. expreſſ.
naſturtii aquatici
——— cochleariæ
——— Beccabung. aã Unc. ij.

m̄.

Sumat dimidium jejuno ventriculo reliquam partem poſt trihorium.

Nro. 22.

Nro. 22.

℞. Raphan. ruſtican. Unc. jv.
rad. calam. aromat. Unc. j.
herb. fumar. Unc. ij.
glycyrrh. Unc. jß.
minutim conſciſſ. digere per 24. hor.
in ſ. q. vini albi,
dein colatur lib. jv. exhibe.

Sumat omni trihorio Unc. ij.

Nro. 23.

℞. Oximel. ſcillitic. Unc. iij.
ſpirit. cochlear. Unc. j.
aq. ſalv. Unc. viij.
extract. arnic. dr. jß.
m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 24.

℞. Conſerv. naſturt. aquat.
——— cochleariæ
ſyrup. ribeſior. aâ Unc. j.
ſpirit. vitriol. dr. ij.
m̄.
Detur uſui.

Nro. 25.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
pulv. rad. jalap. dr. jß.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aa Unc. jß.
ſyr. rad. V. aperient. q. ſ.
m. f. conſerv.

Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 26.

℞. Extract. cicut. Unc. ß.
f. pilul. gr. iij.

Sumat ter de die pilul. tres ſenſim augendo doſim.

De Scabie.

Scabies morbus cutaneus eſt diuturnus, nauſeam pariens & contagioſus.

In manibus ſæpe initium ſumit, inter digitos parvæ quædam acri rodente vel urente materie lymphatica repletæ apparent puſtulæ, quæ vehementem adeo pruritum cauſant, ut a ſcalpendo abſtinere poſſibile

non

non ſit; ad hæc brevi in aliis corporis partibus ſimiles etiam prorumpunt puſtulæ, quæ ægrum inquietum reddunt; ſæpe his univerſum corpus conſpergitur, ſæpe vero in pedibus ſolum & manibus copioſiſſimæ prodeunt admodum ſibi propinquæ, in reliquis vero plagis paucæ tantum a ſe invicem remotiores.

Poſt aliquod tempus puſtulæ utplurimum in profunda & lata mutantur ulcera, quæ ſquama obducuntur aut cruſta.

Quo profundius ulcera rodunt, eo pruritus & ardor erunt vehementiora, præcipue vero hæc tempore nocturno augentur, calorem inquietudinem & vigilias cauſant.

Quandoque etiam cutis puſtulis intermedia tenditur, rubet & inflammatur, æger plerumque ſitim conqueritur & pulſum habet febrilem.

Sæpius autem ſpatia intermedia inflammata non ſunt, ſquamæ ſiccæ & flaccidæ habentur, & ſine febre pulſus.

Apud alios in toto corpore parvi inflammati rubri & rodentes prodeunt furunculi, qui brevi pure repleti circum circa

anulo rubro cinguntur, hi quoque in ſquamas ſæpe ſeparatas aut in latas denſas turpes exſiccantur cruſtas.

Hæc ſcabiei ſpecies ut prior contagioſa eſt, quare ſani ab his ægris illico ſeparandi ſunt, nunquam his concumbant, nec horum induſiis veſtimentis linteaminibusque utantur.

Duri indigeſtibiles valde ſalſi & fumo indurati cibi, fructus auſteri immaturi, ſeſſio diuturna, impurus aër &c. hujus morbi pro cauſa exiſtere poſſunt; præcipue ſi corpus inſuper & linteamina raro mundentur & in ſuis relinquantur ſordibus.

Apud quemlibet ſcabie infectum inquiratur oportet, an ſcabies recens exorta, an jam inveterata ſit; an æger magnum calorem, magnam patiatur ſitim, pulſumque habeat febrilem, an non & omni calore careat æger?

Si æger præternaturalem conqueratur ſitim & calorem, ſi febris in pulſu deprehendatur, cutisque tenſa ſit & inflammata, medicamenta refrigerantia ſanguinem depurantia *ſub Nro.* 1. 2. 3. 4. 5. exhibenda ſunt, hisque continuandum, donec inflam-

ma-

matio imminuatur & calor, ſi vero febris fuerit vehemens & æger plethoricus ſit, etiam venam ſecare convenit; prætereaque omni tertio quartove die remedium purgans Nro. 6. 7. 8. porrigatur, niſi ſupra dicta medicamenta alioquin alvum ſufficienter ſervent apertam.

Si calor remittat, inflammatio minuatur, purgantia toties repetere minime neceſſarium eſt, cum decoctis autem prius recenſitis ſedule continuari debet.

Hac ratione quandoque ſquamæ ſenſim decidunt, totusque morbus paucas intra ſeptimanas percuratur.

Sæpe tamen cruſtæ febre & calore jam evanidis cuti adhuc pertinaciſſime adhærent, latens ſub his acrimonia rodendo magis ſemper in latum & profundum ſerpit, ægrumque ardore & intolerabili roſione excruciat.

Hoc in caſu remedium Nro. 9. 10. 11. exhibetur, multum præterea ægris de Nro. 4. aut 11. pro potu propinatur; neque minus egregie prodeſt & inſigniter curam accelerat, ſi corpus aqua tepida, in qua pau-

ca ſaponis veneti ſoluta quantitas eſt, quotidie lavetur.

Si poſt aliquod tempus notabilis obſervetur morbi emendatio, in curandi methodo nil mutandum venit, ſed diligenter pergendum, donec eſcharæ decidant, nec ullæ denuo ſequantur puſtulæ omnisque roſio aut pruritus penitus ceſſent.

Sæpe ex ulceribus ſcabioſis multum acris liquidi exſudat, quod partes vicinas irritat, inflammat, novasque iterum puſtulas producit & ulcera, ad hoc præcavendum aqua calida & lacte vel remedio Nro. 12. 13. hæc acris materia ſæpius ablui debet.

Si in ſcabie nulla inflammatio, neque calor animadvertatur, neque febris, cura ſtatim purgante, ut Nro. 6. 7. 8. 14. 15. 16. 18. inchoari poteſt, tandem ægro copioſum quotidie decoctum ſanguine depurans de Nro. 4. 11. 18. 19. ingeritur, elapſis vero ſex ſeptem diebus repetitur purgans & hac ratione pergitur, donec æger integræ reſtituatur ſanitati.

Attendendum tamen eſt, ne purgantibus nimium proſternantur vires: ſic enim fieri

fieri poſſet, ut ſcabies retropelleretur, atque magnas in partibus corporis internis produceret calamitates.

Remedium Nro. 20. & 21. in ſcabie etiam inveterata magnam ſæpe adfert utilitatem, ſi præſertim ſanguis ægrorum tenax ſit & ſcorbuticus.

Hic tamen morbus, licet utcunque diu duraverit, pertinax & ad optima medicamenta rebellis fuerit, non raro remediis Nro. 22. 23. integre tollitur.

Remedia hæc eadem porro ratione in alia quacunque diuturna efflorescentia aut morbo cutaneo inveterato tentari poſſunt, ſæpeque ultra omnem ſpem bonum ab illis experimur effectum.

Melius ſemper eſt, ſi ſcabies aut alius quisque morbus cutaneus internis ſanari poſſit remediis, hæc enim curandi methodus longe tutior eſt, etiamſi longiori aliquantum tempore ad eam perficiendam opus ſit, ægroque longe moleſtior accidat, nihilominus externa remedia, quamdiu poſſibile, evitare oportet, ſi præſertim malum profunde jam radicatum foret & a prava

humorum diatheſi vel ſanguinis acrimonia ortum duceret.

Si vero interna remedia longo tempore ſine emendatione notabili & conſequenter ſine ſpe futuræ integræ reſtitutionis adhibita fuiſſent, quotidie quædam plagæ ſcabie refertiſſimæ unguento Nro. 24. aut 25. leniſſime inungi poſſunt, non intermiſſo tamen internorum remediorum & decoctorum ſanguinem purificantium uſu, qui adhuc aliquo tempore evanida jam omni ſcabioſa efflorefcentia protrahendus eſt.

Balnea ſulphurea præprimis ſcabioſis conducunt, verum & hæc nocerent, niſi antea ſanguis idoneis corrigatur medicamentis & acrimonia temperetur.

Balneis ſimilibus aut unguento ſuperius memorato tum ſolum mox ab initio uti licet, ſi pulſus febrilis non ſit, & dum certo conſtat ægrum mediantibus veſtimentis, ſtragulis aut attactu ſimiliter affecti ſcabiem contraxiſſe, ipſiusque ſanguinem nulla ſcatere labe; ſed ſanum eſſe.

Repercutientia, fortiter exſiccantia multo lythargyro, ſacharo ſaturni vel etiam arſenico permixta unguenta hoc in morbo

nun-

nunquam adhibenda ſunt, ſiquidem ſemper detrimento ſint.

Quodſi vero accideret, ut perverſa curandi methodo vel remediis externis ſcabies interiora verſus repulſa fuiſſet, enormes ſæpe & continui capitis dolores, vertigo, cæcitas, ſurditas, aſthma, tuſſis, quandoque etiam epilepſia & alii morbi oriuntur.

His in caſibus decocta attenuantia & reſolventia ſupra momorata in magna quantitate exhibenda ſunt, tentandaque remedia, quæ Nro. 9. 10. aut 22. 23. recenſentur, æger quotidie per plures horas balneo emollienti inſideat, ut perinde ſcabies verſus exteriora corporis alliciatur.

Si hac ratione mala minuantur ſymptomata, ſine mutatione alacriter procedendum eſt, ſi vero poſt unius aut plurium ſeptimanarum decurſum nullum levamen obſervetur, ſcabiei revocatio alia methodo tentanda eſt.

Tum ſimiles ægri alteri ſcabioſo concubare jubentur, aut ipſis induſium, quod ſcabioſus geſtabat, induitur, ut ipſa inſitione ſcabies communicetur.

Hoc facto tam ab internis quam externis remediis abſtinendum eſt, permittendumque, ut firmas in ejus corpore radices figat ſcabies, quæ ubi tandem ad ſuam devenit vehementiam, morbus ex retropulſione ſcabiei productus utplurimum remittit.

Quando hoc advertitur, internis ſanguinem depurantibus remediis uti, hisque malum ſenſim perſanare licebit.

Si æger feliciter hac methodo reſtitutus ſit, ulcera artificialia aut fonticuli procurandi, diuque in fluxu conſervandi ſunt.

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Rad. gramin. Unc. ij.
— acetoſæ Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
ſyr. ribeſior Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 2.

Nro. 2.

℞. Rad. altheæ. Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. Unc. ij.
m̄. Sumat, ut prius.

Nro. 3.

℞. Tamarindor. Unc. ij.
rad. altheæ Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ¼ hor.
colatur. lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. jß.
mann. elect. Unc. jß.
ſyr. berber. Unc. j.
m̄. Uſus, ut prioris.

Nro. 4.

℞. Rad. bardann. Unc. ij.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque adhuc in ferv. inf. p. ¼ hor.
colatur. lib. ijß. adde:
ſyr. fumar. Unc. ijß.
liq. terr. foliat. tartar. dr. iij.
m̄. Uſus, ut prioris.

Nro. 5.

℞. Nitr. pur. dr. jβ.
roob ſambuc Unc. iij.
m̄.
Sumat quater de die cochl. ſuperbibendo Vaſculum infuſ. ex fl. ſambuc. & fol. malv.

Nro. 6.

℞. Cremor. tartar. ſcrup. xx.
Rad. jalap. ſcrup. ij.
m̄. f. pulv. p. doſi.

Nro. 7.

℞. Sal. polychreſt. dr. ij.
aq. laxativ. D. V. Unc. iij.
m̄.
Sumat pro unico hauſtu.

Nro. 8.

℞. Fol. ſennæ Unc. β.
mann. elect. Unc. jβ.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. miſt. inf. in aq. ferv. lib. β
relinque vaſe clauſo per ½ hor.
dein colatur. exhibe.
Pro hauſtu.

Nro. 9.

Nro. 9.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
pulv. rad. jalap. dr. jß.
conſerv. fumar.
——— Naſturtii aquat. aâ Unc. jß.
ſyr. rad. V. aperient. q. ſ.
m̄. f. conſerv.
Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 10.

℞. Scammonei dr. j.
flor. ſulphur.
magneſ. nitr. aâ Unc. ß.
m̄. f. pulv.
Sumat ter de die parvum cochl. & bibat bina vaſcula ex infuſ. ſpecier. ſequent.

Nro. 11.

℞. Rad. bardan. Unc. vj.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 12.

℞. Aq. roſar. Unc. vj.
acet. lythargyr. gtt. xij.
m̄. Pro. collyrio.

Nro. 13.

℞. Aq. fontan. lib. j.
acet. lythargyr. dr. jß.
m̄.

Nro. 14.

℞. Rhei eleſt.
ſal. polychreſt. aâ ſcrup. ij.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 15.

℞. Pulv. rad. jalap. ſcrup. ij.
mercur. dulc. gr. v.
m̄.
f. pulv. pro. doſi.

Nro. 16.

℞. Scammonei gr. xv.
reſin. jalap. gr. v.
mercur. dulc. gr. iij.
ſachar. alb. gr. xx.
m̄.
f. pulv. tenuiſſ. pro doſi.

Nro. 17.

℞. Maſſ. pil. mercur. Ph. Pr. gr. xxjv.
f. inde pilul. Nro. vj. pro doſi.

Nro. 18.

℞. Seri lactis vel
lactis ebutyrat q. p.
Sumat pro potu.

Nro. 19.

℞. Rad. V. aperient. aâ dr. iij.
conſciſſ. inf. ſ. q. aq. ferv. p. ½ hor.
colatur. lib. ij. adde:
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
ſyr. fœnicul. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bi- vel trihorio vaſculum.

Nro. 20.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aâ Unc. jß.
m̄.
Sumat omni bi-vel trihorio parvum cochlear.

Nro. 21.

℞. Cremor. tartar. dr. iij.
conſerv. naſturt. aquat.
——— cochlear. aâ Unc. jß.
m̄. Sumat, ut prius.

Nro. 22.

Nro. 22.

℞. Extract. cicut. Unc. ß.
maſſ. pilul. extract. cathol. dr. j.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. tres.

Nro. 23.

℞. Sap. venet.
extr. cicut. aâ Unc. ß.
pulv. rhei elect. dr. ij.
ſyr. fumar. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. tres vel quatuor.

Nro. 24.

℞. Flor. ſulphur. Unc. j.
axungiæ porc. Unc. iij.
m̄.
exactiſſime & f. unguent.

Nro. 25.

℞. Mercurii vivi Unc. j.
axungiæ porcin. Unc. jv.
Tere uſque ad mercurii exſtinctionem & unguentum detur uſui.

De Vermibus.

In hominibus muco inteſtinorum abundantibus, duris pravisque alimentis vitam ſuſtentantibus aut aquam impuram haurientibus vel putridam &c. ſæpiſſime animadvertuntur vermes.

Diverſæ exiſtunt horum ſpecies: aliqui admodum parvi ac breves ſunt eorum adinſtar, qui in caſeo obſervantur, alii parvi quoque valde graciles, ſed aliquantum longiores ſunt, hæ duæ ſpecies maxime inteſtinum rectum inhabitant.

Alii longi ſunt teretes lumbricis terreſtribus ſimillimi; tandem habentur valde longi plani & lati, qui vermes lati vel teniæ appellantur.

An æger vermibus laboret nec ne, difficillime ſæpe cognoſcitur, ſi tamen quædam ex ſequentibus obſervantur ſignis, vermes adeſſe concludere licet.

Tales ægri ventrem plerumque habent tumidum & durum, pallidi ſunt & macilenti, oculorum bulbus plumbeum refert colorem & pupilla oculi admodum dilatata habe-

habetur. Conſtantem & moleſtam ſentiunt in naribus titillationem, ſicca irritante continuo tuſſi affliguntur & ſingultu, dolorificam in abdomine vellicationem & roſionem conqueruntur jejuno præſertim ventriculo, hæc autem ſumptis cibis remittunt, ſæpe fame torquentur inſatiabili, multum comedunt, corpus tamen conſumitur, ſæpe ex ore fœtent & omnes faſtidiunt cibos, leipothymiæ, animi deliqnia & vertigines accedunt aut validis tendinum ſubſultibus, convulſionibus, ipſa plane epilepſia infeſtantur. Pulſus eorum utplurimum inæqualis & non raro intermittens eſt. Urina pallida & cruda: quandoque conſtantem experiuntur diarrhæam, ſubinde autem alvus illis pertinaciter obſtructa eſt.

Quo plura ejusmodi ſigna adſint, eo prognoſis eſt ſecurior ægrum hunc vermibus laborare.

Cettiſſimum autem ſignum eſt, dum vermes per vomitum aut alvum excernuntur.

Vermes teretes ſeu lumbrici facile auferuntur, contra vermes lati & teniæ omnibus ſæpe reſiſtunt medicamentis.

Cum

Cum autem vermes in tenaci utplurimum muco nidulentur firmiterque inteſtinis adhæreant, ægris ejusmodi veniunt exhibenda medicamenta, quæ mucum incidant, vermibus adverſa, eosque enecent aut de corpore expellant.

Remedium Nro. 1. in omnium vermium ſpecie optima præſtitit ſæpiſſime & multos ægros integræ ſanitati reſtituit.

Amaricantia, fœtida, ſalina & purgantia medicamenta hoc in morbo plerumque optimo cum ſucceſſu exhibentur, talia Nro. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. videre eſt.

Formulæ.

Nro. 1.

℞. Sal. polychreſt.
pulv. rad. jalap.
—— — valerian. ſylveſt. aâ dr. j.
oximel. ſcillitic. Unc. jv.
m.

Sumant adulti ter de die cochlear. Infantes omni bihorio parvum cochlear.

 Nro. 2.

Nro. 2.

℞. Vitriol. mart. artificial. dr. j.
ſolv. in aq. tanacet. Unc. vij.
dein adde:
ſyrup. fumar. Unc. ij.

m̄.

Sumant omni trihorio cochlear. duo.

Nro. 3.

℞. Vitriol. mart. artif. dr. j.
ſolv. in aq. tanacet. Unc. vij.
dein adde:
tinctur. aloës dr. j.

m̄.

Uſus, ut prioris.

Nro. 4.

℞. Rad. valerian. ſylveſt. ſcrup. ij.
— jalap. gr. xx.
m̄. f. pulv.

Sumat æger per 8. dies talem quotidie jejuno ventriculo.

Nro. 5.

Nro. 5.

℞. Aſæ fœtidæ
extr. rad. valer. ſylv. aâ dr. j.
aloes pur. dr. β.
tinctur. ſuccin. q. ſ.
ut fiant pilul. gr. iij.

Sumat ter de die tres ſuperbibendo Vaſcul. Inf. ſaturat. Herbæ tanaceti.

Nro. 6.

℞. Herbæ gratiolæ
fol. ſrnnæ
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Sumat per plures die quotidie mane bina vaſcul. jejuno ventriculo.

Nro. 7.

℞. Pulv. rad. dictam. alb. dr. vj.
— — jalap. dr. ij.
conſerv. abſynth. Unc. ij.
ſyrup. fumar. q. ſ.
m̄. f. elect.

Nro. 8.

℞. Rad. filicis maris dr. j.
fiat pulvis.

Sumat æger per quatuor dies quotidie jejuno ventriculo, quarto autem die binis horis poſt abſumptum hunc pulverem ſumat unum ex ſequentibus.

℞. Rad. gratiolæ dr. β.
f. pulv. pro doſi.

vel

℞. Reſinæ jalap.
mercurii dulcis
ſachar. albi aâ gr. xv.
m. f. pulv. tenuiſſ. pro doſi.

Hac ratione ſubinde feliciter expellitur tænia, etſi cura non perfecte ſuccedat prima vice, tunc poteſt eodem modo poſt aliquot dies repeti.

De

De Hæmorrhoidibus.

Si ex vaſis ſanguineis in fine inteſtini recti locatis ſanguis profluat, hic ſanguinis fluxus hæmorrhoidum fluentium nomine venit.

Si vero vaſa in fine inteſtini recti dilatentur, intumeſcant & rotunda aut oblonga profunde rubra aut ex nigro cærulea tubercula & tumores ſanguine refertos, absque tamen ejus profluvio, producantur & conſpiciantur, hæmorrhoides cæcæ aut non fluentes audiunt.

Hi tumores in inteſtino recto exterius ſituantur aut interius, quare etiam æger communi ſenſu externis aut internis hæmorrhoidibus laborare dicitur.

Quandoque hi tumores admodum dolentes & inflammati ſunt, nonnunquam vero laxi & ſine dolore habentur.

Hæmorrhoidarii ſæpius vertigines, capitis dolores, tenſiones in nucha, lumbis, oſſe ſacro conqueruntur; hypochondria ſubinde tenſa aut inflata gerunt, de ſingulari quoque ſenſatione quærelas movent, ac ſi circa coſtas inferiores ad lumboſusque

 circu-

circulo firmiter conſtringerentur, quod liberam ipſis impediret reſpirationem, anxietatesque cauſaret, nec non moroſos ineptos ad negotia, irritabiles aut murmurantes redderet. Non raro in fine oſſis ſacri aut etiam inteſtini recti vehementem penetrantem pungentem urentem aut conſtringentem dolorem percipiunt; quandoque urinæ adeſt ſuppreſſio, ſimul & obſtructio alvina aut teneſmus, qui tandem diarrhæam producit, qua copioſus tenax & mucoſa alvus ſecedit; ſi hiſce ægris alvus clauſa ſit, melius ſe habent, ſi vero hæc frequentius deponatur, quavis fere vice poſt depoſitionem laſſitudinem, palpitationem cordis, ardorem in inteſtino recto &c. percipiunt.

Si hæmorrhoides fluere incipiunt, aut ſine inflammatione intumeſcant, communiter hæc ſymptomata remittunt.

Si vero hæmorrhoides exterius vel interius inflammentur, vehemens ſæpe accedit febris & dolores in recto evadunt intolerabiles; quandoque hi dolores verſus veſicam urinariam extenduntur, continuamque cauſant dyſuriam aut per abdomen propagan-

gantur, unde vehemens & periculoſa colica inflammatoria originem trahit.

Apud quosdam hæmorrhoides omni menſe, apud alios omni tertio aut quarto menſe, apud nonnullos in principio veris & autumni, apud alios ſolummodo tempore vernali ordinatum admodum fluxum obſervant.

In omnibus hujusmodi hominibus hæmorrhoides utplurimum ſalutare ſunt conamen naturæ, quo conamine abſoluto illi homines ſeſe liberrimos, multo alacriores & ad negotia aptiores experiuntur; quare caveant, neceſſe eſt, ne vel maxime circa illud tempus, quo fluxum hæmorrhoidalem rediturum experientia docti ſunt, inordinata vivendi norma, errore in cibo & potu, in incaleſcentia aut refrigeratione, ſimilibusque commiſſo ordinatim recurrens impediatur, aut imminuatur fluxus.

Si hæmorrhoides debite fluant, quietos ſe & fluxui huic convenienter gerant, oportet & niſi ſingulare quoddam moleſtum valde & periculoſum ſuperveniat ſymptoma, remediis nec externis nec internis

 opus

opus habent, ſed totum negotium providæ relinquendum eſt naturæ.

Quodſi vero contingeret, ut hic fluxus medicamentis male adminiſtratis, vehementioribus corporis animique motibus, refrigerio ſubitaneo & ſimilibus derepente ſiſteretur, peſſimæ ſæpe ſequelæ habentur, ut ſunt vertigo, cephaleæ diuturnæ, apoplexiæ, paralyſes, cæcitas, hæmoptoe, anxietas &c.

In hujusmodi caſibus omni poſſibili modo conandum eſt, ut fluxus denuo reſtituatur.

Quare talibus ægris, ſi pulſum plenum & tenſum habeant, aut plethorici ſint temperamenti, mox vena ſecari & alvus emollientibus clyſmatibus aut medicamentis Nro. 1. 2. 3. leniter ſolicitari poterit.

Inde ſæpe ægri levari ſe ſentiunt, ſi præſertim fluxus hæmorrhoidalis rurſus redeat, aut vaſa ſaltem intumeſcant hæmorrhoidalia.

Si autem hæc remedia ſine levamine adhiberentur, ægri vaſi aqua calida pleno inſidere jubentur, ut mediante vapore ſanguis majori copia verſus vaſa hæmorrhoida-

lia

lia derivetur, quæ utprimum tument, non tamen ſua ſponte fluunt, applicatis evacuentur hyrudinibus, copioſa præterea decocta emollientia Nro. 4. 5. 6. exhibeantur, nec non ægrum quotidie ter pulverem Nro. 7. aſſumere & mane ac veſpere per mediam aut integram horam crurum balneo inſedere, convenit; ſi his quædam obſervetur emendatio, tamdiu continuentur, quamdiu poſtulaverint circumſtantiæ.

Quodſi vero nullum levamen contingat, neque dolor ullus, tenſio aut morſus in fine inteſtini recti ſe manifeſtet, ſignum eſt naturam diſpoſitam non eſſe, ut verſus has partes ducatur, & tum ortos a ſuppreſſo fluxu hæmorrhoidali morbos eadem plane ratione curare oportet, ac ſi ab alia cauſa ortum duxiſſent.

Si æger ceſſante ſubito fluxu hæmorrhoidali nec calorem percipiat nec febrem, nec plethoricus ſit, venam ſecare opus non eſt, mane tamen ac veſperi, aut ter de die pulverem Nro. 8. aſſumere & ſuper aquæ calidæ vaporem ſedere, eique ſuppoſitorium Nro. 9. imponi poterit; niſi vero brevi ad hæc fluxus hæmorrhoidalis appareat,

aut

aut ſui per ſigna quædam reditus ſpem faciat, his non amplius remediis æger torquendus eſt; ſed alia potius ſymptomatibus appropriata adminiſtrentur medicamenta.

Accidit autem nonnunquam, ut fluxus hæmorrhoidalis ſubito ſine malis ſequelis ceſſet, in tali caſu igitur, ubi æger commode ſe habet, nihil agere oportet, ſed naturæ in poſterum conſiderare curſum.

In quovis ægro fluxu hæmorrhoidali laborante exacte obſervandum eſt, an fluxus ille non nimis copioſus, non nimis paucus ſit, anve conſuetam ſervet evacuati ſanguinis copiam, nec ne? ſi conſuetam ſervet quantitatem, nil moliri opus eſt; ſi vero parcus fluxus admodum ſit, nec prægreſſæ tenſiones, vertigines, anxietates & dolores remittant, lenibus remediis promoveri poteſt; ſubminiſtrantur ægro clyſmata emollientia, potum Nro. 6. diligenter bibat, mane autem ac veſpere pulverem Nro. 7. aut remedium Nro. 10. aſſumat, ſi vero plethoræ manifeſta adverterentur ſigna, non minus inſtituenda eſt venæſectio.

Si contra hæmorrhoides copioſe nimis fluerent, fluxui moderamen inducere convenit,

venit, ſi æger ſanæ cæteroquin conſtitutionis ſit aut plethoricus, ſanguis ipſi ex brachio mitti poteſt, tandem, ut inteſtina evacuentur & ne duræ fœces premendo ſanguinis augeant impetum, clyſma emolliens injicitur, nec non remedia Nro. 11. aut 12. adminiſtrantur; ſi hæc non proſint & debilis evadat æger, ad remediorum, quæ Nro. 13. 14. habentur, uſum confugiendum eſt, aut ſi fluxus ſanguinis nimius foret & continuus, ſimilia ut Nro. 15. 16. porriguntur. Tandem & externa applicanda veniunt remedia, agaricus præparatus hic plurimum prodeſt, ſi loco aperto rite applicari poſſit.

Utprimum autem ſanguinis profluvium notabiliter imminuitur, omnium fortiorum remediorum uſu interno ſuperſedendum eſt.

In hæmorrhoidibus non fluentibus ſeu cæcis videndum eſt, an recenter exortæ ſint & hominem prima vice invadant, aut an æger ſæpius jam illarum expertus ſit moleſtias, anve ſit inveteratum malum, demum an valde dolens inflammatio cum vehementi etiam febre eas concomitetur an

vero

vero ſine omni inflammatione intumeſcant, denique an hæmorrhoides cæcæ cum levamine appareant, ſintque ſalutares naturæ effectus, aut an ſymptomaticæ, moleſtæ, noxiæ fuerint?

Si admodum dolentes inflammatæ non ſine febris vehementia ægrum infeſtent, fomenta emollientia externe applicantur continuo & æger tractatur, ut ſupra de febribus inflammatoriis dictum eſt. Quamprimum autem dolor remittit, pars inflammata minus jam tenditur, minus rubet, emollientium fomentorum loco diſcutientibus utendum eſt, alias ſæpius obvenit, ut protracto nimis emollientium externorum uſu partes hæ admodum relaxentur aut ex inflammatione in ſuppurationem abeant; diſcutientibus autem fomentis inſiſtitur eouſque, donec omnis tam tumor, quam dolor diſparuerit.

Ubi pulſis doloribus ſublataque inflammatione æger fomenta amplius ferre nollet, ad laxum tumorem percurandum unguentum Nro. 17. 18. adhiberi poteſt, ſi autem eo in loco vehemens & ſpaſmodicus dolor per-

permaneret aut teneſmus, unguentum Nro. 19. uſuveniat neceſſe eſt.

Sæpe autem hæmorrhoides adeo ſanguine turgentes ſunt & tenſæ, ut fomenta emollientia una cum remediis internis nullam ferant opem, hoc in caſu cultro inciſorio caute aperiuntur, ſanguinique conciliatur exitus, ſi vero æger cultrum inciſorium horreret, applicari poſſunt ſanguiſugæ, aut partes hæ, ſi cutis valde tenuis ſit, foliis ficus aut charta bibula aſperiore fricentur, ad quæ plerumque ſponte ſua fluere inchoant hæmorrhoides.

Si vero partes tumidæ jam profunde admodum ruberent, aut liveſcerent, malumque minarentur exitum, nunquam ad emollientia, ſed ſine mora ad diſcutientia putredinique reſiſtentia fomenta ex herbis Nro. 20. recurrendum eſt; denique ſi ſigna partes in gangrænam abituras oſtendant, remedia Nro. 21. 22. 23. ægris porriguntur ſtrenue fomentis proceditur.

Quodſi tamen contingeret, ut adhibitis licet omnibus antea indicatis remediis inflammatio in ſuppurationem terminaretur, locus ille, in quo ſuppuratio fieri advertitur,

tur.

tur, ſubito aperiendus eſt, ut puri exitus concilietur; hoc in caſu apertura ſuppurati loci tam diu differenda non eſt, quam in glanduloſis aliisque partibus, magna enim copia hic pinguedinis adeſt, hinc pus brevi acredinem induit & partes adjacentes arrodens ulcera ſinusque format aut fiſtulas, unde diuturni ſæpe omnisque medela ignari morbi exoriuntur.

Quandoque hi ſinus & fiſtulæ ab initio ſtatim perfecte curantur, ſi remedium Nro. 24. ſyringa injiciatur & interne remedia Nro. 25. 26. exhibeantur, nunquam vero ſcalpellum unicum tutiſſimumque habetur remedium.

Si hæmorrhoides regulariter certisque tumeant temporibus & ægri levamen exinde percipiant, nunquam ſubito profligandæ ſunt, ſed attendendum ſolummodo, an cum harum intumeſcentia nulla alia æger experiatur moleſta ſymptomata, ſic, ſi magna continuaque febri, calore multo, vertigine affligeretur æger & plethoricus eſſet, venæſectio celebrari, applicari ſanguiſugæ, clyſmata injici emollientia, in genere ita tractari malum debet, ut in febribus continuis fieri

fieri conſuevit. Quodſi vero affectione ſpaſmodica ſimul ægri torquerentur vel teneſmo laborarent remedia Nro. 27. 28. aut 11. exhiberi & partes affectæ Nro. 17. illiniri poſſunt, ſi autem nulla peculiari infeſtarentur moleſtia, eos quietos ſolum manere oportet, nec ullo indigent remedio.

Si contra irregulariter revertatur hæmorrhoidum intumeſcentia & ſolum moleſtias nullum vero adferant emolumentum, ſenſim earum ſuppreſſioni ſtudendum eſt.

Inutiles & irregulares hujusmodi hæmorrhoides ſæpiſſime a cibis calefacientibus, aromatibus conditis, a potu copioſo recentis & generoſi vini, a diuturna alvi obſtructione, a duris fœcibus, a nimia ſuper mollibus & calefacientibus ſeſſilibus ſeſſione, ab equitatione, atque exceſſu in negotio veneris &c. enaſcuntur; quibus etiam potus Coffée & vini rubri dolorem, tumoremque producit hæmorrhoidalem.

In principio hoc mali genus ſatis facile ſæpe depellitur, plethoricis celebratur venæſectio, remedia exhibentur refrigerantia, alvum ducentia ut Nro. 1. 2. 3. 29. aut emol-

emollientium enematum ope alvus eliminatur, partes demum hæ remedio Nro. 18. inunguntur, aut ſi hæmorrhoides dolore ſtipatæ non ſint, easdem æger bis vel ter de die frigida lavare aqua, ſpongiamque aquæ frigidæ intinctam nonnullo temporis ſpatio applicatam tenere poteſt, quod remedium toties in uſum trahere poterit, quoties ad deponendam alvum ſollicitatur; hac ratione iſtæ partes ſenſim debitum ſuum robur conſequuntur & hæmorrhoides ſine omni alio malo perfecte diſparent, deinceps tamen æger cauſas excitantes omni cura evitet, convenit.

Si vero tumentes dolerent hæmorrhoides, emollientia prius & anodyna oportet adhibere fomenta; utprimum autem dolor diſparuit, demum pro uſu externo remedia ſupra dicta roborantia & adſtringentia conducunt.

Verum ſi hæmorrhoides in plura inveterata jam eleventur tubercula, ſi his tuberculis ſanguis congrumatus nullis reſolvendus fomentis attenuantibus contineri deprehendatur, ea lanceola aperire, ſanguinemque grumoſum exprimere præcipuum eſt

eſt remedium, hac methodo ſæpe nodoſi hi tumores facillime & brevi evaneſcunt, ſi præſertim per aliquot dies fomenta ex herbis diſcutientibus ſimul & roborantibus in auxilium vocentur.

Si vero membrana horum tuberculorum craſſa nimis & jam indurata foret; eandem reſecare & ut vulnus recens percurare optimum erit.

Quodſi obſervaretur ſubſtantiam mucoſam ſæpius per hæc effluere aut exſudare tubercula, non omnia ſimul & ſemel reſcindere, ſed unum duove, quæ minimam ægro moleſtiam cauſant, relinquere oportet; ſi elapſo demum aliquo tempore æger bene valere videatur, a cæteris etiam liberari poteſt, ſi præſertim nullum a tali fluxu animadvertatur obvenire emolumentum.

Productis per interne tumentes hæmorrhoides ventris torminibus urinaque ſuppreſſa fomentis emollientibus & aquæ vapore partium externarum relaxatio tentanda eſt, quæ ſi ad hæc intumeſcant, dolores evaneſcunt interni; quamprimum igitur hæ tument, ſanguiſugæ applicandæ ſunt, aut lanceola aperiendæ, ut ſanguis effluat,

nec amplius ad priorem regrediatur locum.

Si vero ab internis hæmorrhoidibus vehemens colica enaſceretur, pulſus febrilis exploraretur & durus, huic morbo ut ſupra in enteritide dictum fuit, cura adhibenda eſt.

Sæpe omnia hæmorrhoidum internarum tumentium ſigna adſunt, ſimul & urinæ ſuppreſſio obſervatur, tandem æger ſanguinem mingit & melius ſe habet, hic mictus cruentus nonnunquam ordine menſtruo aut aliis certis recurrit temporibus: utprimum talis mictus cruentus ab hæmorrhoidibus ortum ducere notatur, nullo modo anxii ſimus oportet, ſed illum decoctis emollientibus Nro. 4. 5. 6. promovere potius, nunquam vero adſtringentibus impedire debemus.

Si hæmorrhoidarii poſt quamlibet alvi depoſitionem ardorem vehementem aut dolorem in fine inteſtini recti experiantur, vel ſi talis ardor & dolor ſine alvi depoſitione exoriatur, bonum erit multumque adferetur levaminis, ſi bis de die ſuppoſitorio ex butyro caccao aut ex ſucco liquiritiæ inſpiſſa-

ſpiſſato utantur ægri, aut etiam unguentum Nro. 30. rite applicetur; videndum tamen eſt, an non fortaſſe ulcera, ſcirrhi, excreſcentiæ aliæque, quæ hæc ſymptomata excitent, cauſæ ſubſint, quæ alia proinde poſtularent remedia.

Quandoque hæmorrhoides internæ in magna elongantur tubercula & quoties æger ad deponendam ſollicitatur alvum toties unum alterumve horum ſimul ano exprimitur, ut aliquo extra corpus tempore propendeat, doloremque cauſet quaſi tenſivum; tandem hic tumor intra inteſtinum rectum ſeſe recipiens diſparet.

Si ægri hoc malorum genere affecti plethorici ſint, ſæpius celebratur venæſectio, præterea autem medicamenta & decocta attenuantia, ut Nro. 4. 31. 32. 33. illis exhibenda veniunt, venterque ſubinde emollientibus evacuandus enematibus; quibus peractis malum hoc ſæpius ſponte ſua ſenſim evaneſcit.

Quandoque vero accidit, ut dum ſimile tuberculum cum alvo ex ano prodiit, inteſtini recti ſphincter ſe contrahat, illudque ſtranguler quaſi & incarceret, ſubinde

 dolor

dolor intolerabilis evadit & febris accedit vehementiſſima; in his circumſtantiis ſubito ſanguis vena educi, fomenta applicari emollientia, omniaque medicamenta, quæ in febre inflammatoria neceſſaria ſunt, adhiberi debent.

Si dolor mitior tumorque evadat mollior, tubercula ſæpe leni preſſione reduci poſſunt, ſæpe vero ſponte diſſipantur.

Non raro autem accidit, ut cuncta hæc remedia nihil omnino proſint; dolor nequaquam remittit, tumor purpureum colorem nanciſcitur & ſubinde gangræna metuenda merito eſt. Ut malum hoc præcaveatur, ex tumore lanceola aperto ſufficiens ſanguinis quantitas educenda convenit, poſthæc fomenta applicantur diſcutientia, interne vero ſupra memorata decocta continuantur, & ſic fere ſemper cito feliciterque malum auffertur.

Nonnulli dolorem ſæpe tenſivum aut pungentem in iis percipiunt partibus, in quibus alias hæmorrhoides intumeſcere ſolent, ſed nec quidquam ſive externi ſive interni tumoris animadvertitur, præterea de tenſionibus in nucha & dorſo, nec non de

fre-

frequenti conqueruntur vertigine. Quandoque vagi horroris ſenſum per dorſum verſus caput aſcendentesque calores ſanguinis quaſi efferveſcentis experiuntur, dedolati ſunt, puſillanimes, cogitabundi & moroſi, pulſus eorum inæqualis deprehenditur & febrilis; ejusmodi autem ſymptomata illos nonnunquam per annum ſæpius adoriuntur.

Plerumque tamen brevi ab illis liberantur, ſi ipſis bis aut ter de die pulvis Nro. 34. aut remedium Nro. 31. propinetur, ſimulque ſæpius Vaſculum Thee Nro. 6. vel 35. bibere jubeatur, contra ſomnum inquietum veſpertino tempore remedium Nro. 27. exhibetur.

Si vero ſpaſmis ſimul obnoxii forent ægri, remedium Nro. 28. ipſis convenientius eſſet, quam ea Nro. 31. 34. & ſi alvum quotidie ſpontaneam non habeant, enema emolliens nonnunquam injiciendum eſt.

Non raro homines de intolerabili in fine recti inteſtini ardore & morſu querelas movent; hæc pars tum rubet & calet, acris & aquoſa exinde materies exſudare, partes has irritare, parvas, ardentes producere puſtulas, intolerabilemque obſerva-

tur generare pruritum; hoc in caſu ægris lene purgans Nro. 36. porrigitur & magnam copiam de Nro. 37. potare, partem affectam ſæpius de die Nro. 38. abluere aut unguento Nro. 30. illinire jubentur; ad hæc brevi levamen & integra mali cura percipitur.

Sunt feminæ, quæ ſemper aliquot ante menſtruorum eruptionem diebus de dolore hæmorrhoidum tendente aut pungente conqueruntur, dolores ſæpius per univerſum abdomen maxime verſus plagam anteriorem ſe propagant, ibique dolores pungentes & ſpaſmodicas contractiones excitant, non raro urinam ſupprimunt, faciuntque, ut hæc laborioſe & cum teneſmo guttatim tantum excernatur, ſubinde dolores ſimul in oſſe ſacro aut lancinationem tenſionemque in hypochondrio ſiniſtro percipiunt &c.

Tales feminæ illo tempore ſe admodum moderate gerant oportet, omni potu calefaciente ſimilibusque cibis abſtineant; ad alvum clauſam moderandam clyſmata emollientia injiciantur, mane quoque ac veſperi pulverem Nro. 39. aſſumant, ſæpiusque de die de Nro. 5. unum aut alterum vaſcu-

vaſculum hauriant. Plethorícis ſanguinem de vena mittere bene convenit & ſi dolores acerbi nimis adſint & continui, balnea emollientia adhibeantur aut fomenta applicentur ſimilia. Communiter autem totas ſeſe levatas ſentiunt, cum debitus prodire incipit fluxus menſtruus.

Ad hoc malum prævertendum plethoricæ venæſectionem ſæpius celebrent, leniter refrigerantibus, attenuantibus ut Nro. 4. 5. 40. utantur decoctis: quaspiam vero juvat ſæpenumero aliquot ſeptimanarum ſpatio de Nro. 6. mane ac veſperi bina ſemper aſſumere vaſcula.

Melancholicis, ſplenicis regularis hæmorrhoidum fluxus non raro ſummo cedit emolumento, ſi præſertim ſanguinis effluens niger, ſpiſſus & tenax ſit.

Præterea his ægris optime conducit, ſi per aliquot ſeptimanas omni mane decocta ſimilia huic quale Nro. 41. habetur, aſſumant, ſufficientemque inſtituant corporis motum.

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Prunor. exſiccator. Unc. ij.
hord. crud. Unc. jß.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur. lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſ. Unc. jß.

m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 2.

℞. Tamarindor. Unc. ij.
rad. altheæ Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ¼ hor.
colatur. lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. jß.
mann. elect. Unc. jß.
ſyr. berber. Unc. j.

m̄.

Sumat omni hora vel bihorio vaſculum.

Nro. 3.

Nro. 3.

℞. Rad. altheæ Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur. lib. jß. adde:
mann. elect. Unc. ij.
ſal. polychreſt. dr. iij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 4.

℞. Rad. altheæ. Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. Unc. ij.
m̄. Uſus, ut prioris.

Nro. 5.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
flor. altheæ M. ij.
glycyrrh. raſæ Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
colatur lib. ij. exhibe.
Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 6.

Nro. 6.

℞. Rad. altheæ Unc. iij.
fol. altheæ M. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 7.

℞. Magneſ. albæ gr. xxxx.
Nitr. pur. gr. x.
Borac. Venet. gr. v.
m̃. f. pulv.

Nro. 8.

℞. Magneſ. albæ gr. xxxx.
myrrh. elect. gr. v.
aloes lot. gr. ij.
m̃. f. pulv.

Nro. 9.

℞. Aloes Unc. β.
mellis Unc. iij.
coq. leni igne in vaſe vitreo in conſiſt. ſuppoſitorium.
Maſſa d. uſui.

Nro. 10.

℞. Borac. Venet. gr. xxx.
ſyrup. altheæ Unc. jß.
aq. rutæ Unc. viij.
m̄.
Sumat omni bihorio duo cochl. ſuperbibendo Vaſculum infuſ. ſpecier. Nro. 6.

Nro. 11.

℞. Aq. flor. rhœad. Unc. viij.
ſyr. diacod. Unc. jß.
ſpirit. vitriol. gtt. xv.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 12.

℞. Boli armeniæ dr. ij.
ſyrup. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. vij.
m̄.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 13.

℞. Boli armeniæ dr. ij.
pulv. terræ catechu dr. ß.
ſyrup. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. viij.
m̄.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 14.

Nro. 14.

℞. Aluminis rup. gr. x.
ſolv. in aq. flor. rhœad. Unc. viij.
dein adde:
ſyrup. diacod. Unc. jß.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 15.

℞. Pulv. rad. Tormentil. dr. j.
Syr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. viij.
m̄. Uſus, ut prioris.

Nro. 16.

℞. Syrup. diacod. Unc. j.
aq. menth. Unc. viij.
tinctur. terræ catechu dr. jß.
laud. liquid. gtt. xv.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 17.

℞. Camphoræ ol. hyoſciam ſolut. dr. ß.
unguent. nutrit. Unc. j.
m̄. f. unguent.

Nro. 18.

℞. Pulv. terræ catechu dr. ß.
— boli armeniæ dr. ij.
unguent. nutriti Unc. ß.
olei hyoſciam q. ſ.
Ut fiat unguent.

Nro. 19.

℞. Opii puri gr. iij.
unguent. nutriti
——— popul. aâ Unc. ß.
m̄.
Pro unguento.

Nro. 20.

℞. Herbæ abſynth.
—— ſcordii
—— marrubii
—— arnicæ. aâ M. ij.
conſciſſ. miſt. d. uſui.

Nro. 21.

℞. Cort. peruv. ſelectiſſ. Unc. jß.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. hor.
colatur lib. jß. adde
aq. cinnamom. Unc. jß.
m̄.
Sumat omni hora aut bihorio vaſculum tepide.

Nro. 22.

Nro. 22.

℞. Pulv. cort. peruv. ſelectiſſ. lib. ij.
& dentur tales Nro. xij.

Nro. 23.

℞. Extract. cort. peruv. Unc. ß.
aq. flor. chamomil. Unc. viij.
ſyr. flor. chamomil. Unc. ij.
m.

Nro. 24.

℞. Herbæ cicutæ
flor. ſambuc. aâ M. j.
conſciſſ. miſt. infund. ſ. q. aq. fervid. per ½ hor.
colatur. lib. jß. adde:
mel. pur. Unc. jß.
m.

Nro. 25.

℞. Exxtract. cicut. Unc. ß.
f. inde pilul. gr. iij.
Sumat ter de die tres ſenſim augendo doſim.

Nro. 26.

℞. Herb. flammulæ Jovis
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 27.

Nro. 27.

℞. Amygdal. dulc. Unc. jß.
f. emulſio & col. lib. j. adde:
ſyr. papav. alb. Unc. j.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 28.

℞. Nitr. pur. ſcrup. ij.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. Tiliæ Unc. vij.
m̄.
Sumat omni hora cochlear. duo.

Nro. 29.

℞. Cremor. tartar. dr. ij.
pulp. prunor.
roob ſambuc. aâ Unc. ij.
m̄.
Sumat ter vel quater de die cochlear. cum infuſo ex flor. ſambuc. & fol. malv.

Nro. 30.

℞. Unguent. nutriti
——— popul. aâ Unc. ß.
D. pro unguento.

Nro. 31.

Nro. 31.

℞. Nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. vj.
m̄.
Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 32.

℞. Hord. crud. Unc. iij.
aq. pur. lib. jv.
coq. per ½ hor.
colatur dein adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. aut
mel. pur. Unc. ij.
m̄. Pro potu.

Nro. 33.

℞. Nitr. pur. dr. j.
roob ſambuc. Unc. ij.
ſyr. berber. Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 34.

Nro. 34.

℞. Lapid. cancror. gr. xx.
nitr. pur. gr. x.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 35.

℞. Flor. chamomil. M. ij.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 36.

℞. Sal. polychreſt.
magneſ. nitr. aâ Unc. ß.
m̄. f. pulv.
Sumat mane ac veſperi parv. cochl.

Nro. 37.

℞. Rad. bardann. Unc. vj.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 38.

℞. Aq. fontanæ lib. j.
aceti lythargyr. dr. jß.
m̄.

Nro. 39.

℞. Nitr. pur.
ſuccin. proprietat. aā gr. x
lapid. cancror. gr. xx.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 40.

℞. Rad. gramin. Unc. ij.
— acetoſæ Unc. ß.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 41.

℞. Rad. graminis Unc. iij.
rad. cichorii Unc. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur lib. jß. adde:
ſal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. rad. V. aperient, Unc. ij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

De

De Renum & Veſicæ urinariæ calculis.

Nulla corporis pars eſt, in qua non ſubinde calculoſæ concretiones repertæ fuiſſent.

In cyſtide tamen fellea, in renibus & veſica urinaria obſervantur frequentiſſime.

Quas in cyſtide fellea invenire eſt, utplurimum bilem induratam pro origine agnoſcunt.

In renibus vero & veſica urinaria enatæ alterius longe naturæ ſunt atque hæ ipſæ quoad figuram ſæpe a ſe invicem quam maxime differunt, aliquæ duræ admodum ſunt planæ nec anguloſæ, aliæ vero aſperæ arenoſæ facile friabiles &c.

Calculi duri, plani, æquabiles diu ſæpe in renibus etiam veſica urinaria morantur absque eo, ut multum incommodi ægro pariant.

Si vero ſcindentes ſint anguloſi, aſperi, ſæpe cito admodum vehementiſſima & ſumme dolorifica excitant ſymptomata.

In renibus calculus hærens cognoſcitur, ſi ægri in regione lumbari & renali dolo-

rem tenſivum, obtuſum, gravantem ſentiant, inflationes & tormina abdominis percipiant, ſi ad hos dolores pro aliquo tempore urina ſupprimatur, aut pauca aut cum dolore excernatur, ſi denique in urina mucus appareat aut ſabulum, ſi fortaſſe parentum aliquis calculis obnoxius fuerit renalibus, ſi idem dolor poſt omnem corporis motum vehementiorem ut poſt vectionem, equitationem præſertim ſupra ſtrata lapidea, in viis ſaxoſis, inæqualibus multum augeatur & in lecto atque quiete denuo ſileat.

Si malum increſcat, aut calculus quacunque de cauſa moveatur & anguloſus, ſcindens, acutus aut aſper ſit, in regione renali intolerabilis, pungens aut terebrans continuus dolor exoritur, qui juxta decurſum urethrum in veſicam uſque urinariam extenditur, in viris perinde unus aut alter aut etiam uterque teſticulus ſæpe ſimul non ſine dolore ſurſumtrahitur, quandoque unum alterumque crus & pedem rigor, inſenſilitas occupat aut paralyſis, quandoque nauſea & vomitus ſequitur, urina ab initio aut nulla aut ſolum pauciſſima eliminatur,

re-

remittente vero dolore magna utplurimum copia profluit, validum ardoris ſenſum producit, turbida plerumque eſt, copioſum mucoſum aut ſabuloſum deponere ſedimentum, aut ſanguine mixta conſpicitur.

Utplurimum tunc hæc ſymptomata ex integro ceſſant, poſt aliquod tamen tempus eadem & ſæpe adhuc majori cum vehementia revertuntur, hoc maxime per paroxyſmos obvenit eadem plane ut in calculis bilioſis ratione.

Inſultus hi non ſecus ac apud calculos bilioſos naturæ ſunt molimina, quibus calculum loco movere & de corpore expellere adlaborat.

Quare eadem provida ſolicitudine iisdem ſemper medicamentis tractanda ſunt, quæ in vehementibus calculorum felleorum paroxyſmis præſcripta fuere.

Si vero calculus renalis parvus, planus nec anguloſus nec ſcindens ſit, ſæpe ſine dolore multum notabili in veſicam urinariam delabitur, nec infrequens eſt, ut idem ſtatim cum urina ex veſica iterum expellatur.

Si contra magnus, ſcindens ſit & anguloſus, non raro in uretheribus retinetur, ibique ſupra deſcripta quandoque vehementiora producit ſymptomata, inflammationes cauſat aut hæmorrhagias profuſas, imo ſubinde gangrænam & mortem adducit.

Si vero calculus ſine ulla aut magna cum difficultate prægreſſa in veſicam urinariam delatus fuerit, ſuperiora ſenſim evaneſcunt ſymptomata, ad hæc ægri nec tenſiones nec preſſiones aut puncturas ſentiunt in regione renum, atque hinc ſuſpicari licet renes ab hoc malo penitus liberos eſſe.

Dum autem nonnulla ſymptomatum ſuperiorum in regione renum diutius adhuc ſuam obſerventur ludere tragœdiam, plerumque unus adhuc aut plures adſunt calculi, iterumque brevi dolorifici recrudeſcent inſultus.

Quodſi ex circumſtantiis ſupra recenſitis calculum renalem in veſicam urinariam deſcendiſſe certi ſimus, ſtatim & per plures dies urinam bene ſemper examinare oportet & videre, an cum hac nullum corpus calculoſum aut arenula excreta ſit: ſi ſimile

quid

quid advertatur & æger ad hoc urinam liberrime ſine omni ſedimento mingat, ſi de nulla præterea moleſtia cieat querelas, optimum eſt indicium, cum quaſi certi eſſe poſſimus, omnem ſubſtantiam calculoſam ex renibus in veſicam urinariam delatam prorſusque e corpore eliminatam fuiſſe.

Ubi vero nihil in urina deprehenditur & æger conqueritur urinam libere non prodire vel eam ſibi ardorem frequentioremque cauſare ſtranguriam, ſignum eſt in veſica manſiſſe calculum: ibi brevi augetur & in magnam ſæpe excreſcit molem.

Calculus planus & æquabilis, licet notabilem magnitudinem habeat, longo ſæpe tempore in veſica urinaria, quin particulares excitet moleſtias, morem agere poteſt; utplurimum tamen hi ægri pondus percipiunt, aut urinæ quandoque ſuppreſſionem aut difficilem ejus non ſine muco admixto emiſſionem.

Non raro ex renibus in veſicam urinariam parvi calculi aut calculoſa ſubſtantia ſine notabili quodam ſymptomate defferuntur, in veſica morantur & calculis baſim

præbent, ſæpe autem calculus per ſe ipſum in veſica generatur.

In utroque hoc caſu malum incipiens raro cognoſcitur, quia affecti aut nullas aut paucas tantum experiuntur moleſtias & nonniſi malo multum jam invaleſcente querelas movent.

Communia calculi veſicæ notabilis ſigna ſunt ſequentia: urina cum molimine & ardore mingitur, ſubinde tantum guttatim admodum dolorifice aut longo tempore nullam prorſus æger excernere valet, etſi continuum ad mingendum ſtimulum percipiat; nonnunquam ab initio urina libere & copioſe fluit, verum durante fluxu ſubito non ſine vehementi dolore ſupprimitur, ſæpe etiam obvenit, ut hi ægri urinam penitus retinere non poſſint, ſed ea ſine intermiſſione ſtillet; viri non raro in membro virili, glande præſertim, dolorem pungentem, ingratum quoque pruritum patiuntur; urina utplurimum ſanguine aut purulenta aut mucoſa tenaci materia onerata eſt, aut ſedimen format ſabuloſum; quandoque pallet & mucoſi aut membranacei flocci in ea natant, non raro turbida habetur, ſæpe male

olens

olens & putreſcens; tales ægri in regione veſicæ pondus & frequentiorem hæmorrhoidum experiuntur dolorem, ſubindeque ſimul conſtanti & valde moleſto infeſtantur alvi teneſmo.

Quamvis autem hæc ſigna ſemper majori aut minori cum vehementia appareant, ſi calculus revera veſicæ adſit, nunquam tamen ex his ſolis cum certitudine concludere licet, calculum in veſica præſentem haberi, quia hæc ipſa ſymptomata ſæpe etiam a cauſis longe diverſis velut ab ulcere, ſcirrhis, fiſtulis, imo ab hæmorrhoidibus &c. ſuam deſumunt originem.

Certiſſimi de calculi in veſica urinaria præſentia reddimur, dum eundem digito indice in inteſtinum rectum, aut in feminis in vaginam immiſſo percipimus, aut per catheterem de eo convincimur.

Verum & hæc indicia expertiſſimos etiam lythotomos in caſibus intricatis confundere poſſunt & fallere.

Si igitur ex ſupra memoratis ſignis calculus in renibus advertatur præſens, omni molimine adlaborandum eſt, ne ad majus incrementum perveniat, quin potius ſi poſ-

ſibile

ſibile reſolvatur & aptis de corpore educatur remediis.

Tales ægri itaque omnibus iis alimentis, cæterisque rebus, quæ ad calculum augendum contribuere poſſunt, perquam ſolicite abſtinere debent.

Motus corporis continui leves, cibi ex herbis & radicibus recentibus, ſucculentis, fructus horræi maturi illis præprimis ſalutaria ſunt.

Plethoricis venam ſecare & magnam decoctorum emollientium, reſolventium aut etiam leniter purgantium *ſub Nro.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. copiam ingerere convenit. Præterea ſæpius clyſmata emollientia, oleoſa, ſi opus ſit, ipſis injiciantur, quotidie per unam alteramve horam in balneum emolliens deſcendere jubeantur, & regio renalis, ipſum etiam abdomen bis de die unguento *ſub Nro.* 8. fricetur.

Non raro ægri ad recte diuque adhibitum horum aut ſimilium medicamentorum uſum magnum levamen ſentiunt, urina ſæpe admodum turbida mittitur, quæ ſedimentum deponit tenax & mucoſum & in cujus ſuperficie multicolor ſplendens pelli-

cula

cula cernitur, nonnunquam etiam urina granula multa ſabuloſa aut calculoſæ naturæ flocculos ſecumvehit.

Si per hæc moleſtiæ in regione renum ſenſim remittant, radicalis ſanationis ſpes affulget; quare in talibus circumſtantiis medicamenta mutanda non ſunt, ſed ſedule conſtanterque in eorum procedendum eſt applicatione.

Ubi vero poſt diuturnum horum uſum aut nullum aut exiguum valde nec conſtans levamen advertitur, alia ſimul remedia adhibenda veniunt, ut Nro. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. recenſentur.

Verum quodlibet horum remediorum diu tentandum eſt, ut judicium ferri poſſit, an debite operetur & ſufficiens præſtet auxilium; igitur medicamenta nequaquam, ſi non illico primis diebus levamen ſentiatur, mutanda ſunt & in pertinacibus ejusmodi morbis pertinaciter etiam inſiſtendum eſt remediis, ita non raro plurimum lucramur. Sufficit, ſi æger absque nauſea & moleſtia hæc remedia ſufferre poſſit, etenim protractus plurimum eorum uſus detrimentum

nun-

nunquam, magnum vero ſæpe adferet emolumentum.

Remedia in calculo renali proficua etiam in veſicæ urinariæ calculo optimo cum ſucceſſu adhibentur.

Quæ vero ſi non juvant, in calculo veſicæ lythotomia, ſiquidem ægri circumſtantiæ eandem admittant, inſtituenda eſt.

Verum ſæpe æger nimis debilis eſt aut humores nimis acres corruptos gerit aut aliæ ſubſunt cauſæ, quæ lythotomiam diſuadeant; eo tempore cura ſolummodo palliativa locum habet, ſymptomatibus ſcilicet urgentibus proſpiciendo, malumque ægro, quantum fieri poteſt, reddendo tolerabilius.

Hinc obſervare oportet, quodnam ſuperiorum remediorum ægro quam maxime proſit, in quo tamdiu pergendum, quamdiu ejus perſiſtit utilitas.

Si dolores vehementes ſint, nulla tamen præterea plethora aut inflammatio obſervetur, paregorica Nro. 17. 18. 19. ſufficienti copia & larga manu exhibeantur; tales ægri hæc ſæpe facillime & in magna quantitate ferunt & utplurimum nihil aliud

nobis

nobis reperire eſt, quod levamen ipſis procuraret aut ſolatium.

Subinde calculus ad exitum veſicæ urinariæ ſe collocat & urinæ impedit egreſſum; hoc in caſu æger in eum ponatur ſitum, ut nates poſitionem conſuetudine alteriorem habeant, ſicque calculus ſitum ſuum mutare, urina conſequenter effluere poſſit; ſi vero hoc poſſibile non ſit, facienda eſt inciſio, ut ei hac methodo exitus procuretur.

In ſenibus aut etiam multum debilibus frequenter ſabuloſa ſubſtantia cum urina deponitur, in hac ſæpius arenulæ aut parvi conſpiciuntur calculi, tales ægri plerumque nihil peculiare conqueruntur & malo huic quodammodo aſueſcunt; accidit tamen nonnunquam, ut inter mingendum vehementem percipiant ardorem aut urina guttatim tantum magno cum nixu &c. mingatur, hoc in caſu remedia Nro. 20. 21. 22. 23. magnum inducunt ægris ſolatium.

FORMU-

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Rad. altheæ. Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jβ. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. Unc. ij.

m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 2.

℞. Tamarindor. Unc. ij.
rad. altheæ Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ¼ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
nitr. pur. dr. jβ.
mann. elect. Unc. jβ.
ſyr. berber. Unc. j.

m̄.

Sumat omni hora vel bihorio vaſculum.

Nro. 3.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
flor. altheæ M. ij.
glycyrrh. raſæ Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
colatur lib. ij. exhibe.

Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 4.

℞. Rad. V. aperient. aâ dr. iij.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
per ½ hor.
liq. terr. fol. tart. dr. iij.
ſyrup. fœnicul. Unc. ij.
m̄.

Sumat omni bi - vel trihorio vaſculum tepide.

Nro. 5.

℞. Rad. graminis Unc. iij.
— cichorii Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jß. adde:
ſal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. rad. V. aperient. Unc. ij.
m̄.

Sumat omni bi - aut trihorio vaſculum.

Nro. 6.

Nro. 6.

℞. Rad. altheæ Unc. iij.
fol. altheæ M. ij.
glycyrrh. Unc. j.

conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 7.

℞. Rad. altheæ Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
mann. elect. Unc. ij.
ſal. polychreſt. dr. iij.

m̃.

Sumat omni bihorio vaſculum

Nro. 8.

℞. Camphoræ dr. j.
ſolv. in oleo hyoſciami q. ſ.
dein adde:
unguent. de alth. Unc. j.

m̃.

Detur uſui.

Nro. 9.

Nro. 9.

℞. Lapid. cancror.
acet. colchic. aâ dr. iij.
ſyr. altheæ Unc. jß.
aq. fœnicul. Unc. vij.
liq. terr. fol. tartar. dr. ij.
ſpirit. nitr. dulc. gtt. xx.

m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 10.

℞. Sap. venet.
extr. cicut. aâ Unc. ß.

m̄. f. pilul. gr. iij.

Sumat ter de die pilul. tres.

Nro. 11.

℞. Sapon. veneti
gumm. ammoniac. aâ dr. ij.
maſſ. pilul. ruffi dr. ij.
myrrh. elect. gr. xxx.
tinctur. ſuccin. q. ſ.

ut f. pilul. gr. iij.

Sumat ter de die pilul. tres.

Nro. 12.

℞. Aq. juniper. Unc. viij.
ſyr. altheæ Unc. jβ.
olei tartar. per deliq. dr. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio cochlear., ſenſim augendo doſim.

Nro. 13.

℞. Pulv. uvæ urſi dr. β.
d. uſui &
Sumat talem bis vel ter de die.

Nro. 14.

℞. Pulv. uvæ urſi
— oſtracodermat. aâ dr. β.
m̄.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 15.

℞. Sapon. venet. Unc. j.
f. inde pilul. gr. jv.
Sumat ter de die tres, ſenſim augendo doſim, donec integram unciam & ultra diviſis doſibus de die aſſumat, bibendo præterea quotidie ter aut quater, qualibet vice uncias duas vel tres remedii ſequentis cum æquabili parte lactis.

Nro. 16.

Nro. 16.

℞. Aquæ calcis pur. &
recent. lib. j.
Detur uſui.

Nro. 17.

℞. Laud. pur. gr. j.
ſolv. in aq. flor. Tiliæ Unc. jv.
dein adde:
Syr. flor. rhœad. Unc. j.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 18.

℞. Syrup. diacod. Unc. j.
aq. flor. rhœad. Unc. jv.
laud. liquid. gtt. x.
m̄.

Nro. 19.

℞. Maſſ. pil. pilul. de cynogloſſ. gr. x.
ſolv. in aq. flor. Tiliæ Unc. jv.
dein adde:
ſyr. flor. rhœad. Unc. j.
m̄.

Nro. 20.

℞. Semin. lini leniter contuſ.
— dauci cretici
pulv. glycyrrh. aâ Unc. j.

m̄.

Sumat inde unciam-ſemis infund. cum lib. j. aq. fervid. per ¼ hor. vaſe clauſo, dein colatur exhibe.

Tale infuſum bis vel ter de die abſumet æger.

Nro. 21.

℞. Lapid. cancror.
aceti vini aâ Unc. ß.
ſyrup. althcæ
—— diacod. aâ Unc. j.
aq. fœnicul. Unc. viij.
liq. terr. fol. tartar. dr. ij.
ſpirit. nitr. dulc. gtt. xv.

m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear, & bibat deſuper infuſ. ex ſpec. ſequent.

Nro. 22.

℞. Rad. fœniculi Unc. iij.
glycyrrh. Unc. jß.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 23.

℞. Pulv. acinor. fruct. cynosbat. dr. β.
d. pro doſi

Sumat mane ac veſper. talem cum binis Vaſcul. infuſ. ſpecier. Nro. 20. vel 22.

De Lue Venerea.

Nullus morbus hucusque cognitus reipublicæ adeo nocivus eſt, quam quidem Lues Venerea, eſt enim perpetua & occulte proſerpens peſtis, perquam innumeri & aptiſſimi ſæpe homines abripiuntur, ut optima ætate, in qua maxima agilitate florere deberent, penitus jam enervati, ad pleraque inhabiles negotia oneri ſint reipublicæ.

Familiæ multæ publicis commodis adeo prætioſæ paucam ſuam progeniem aut intempeſtivum etiam interitum huic malo tribuendam habent.

Maxime ſtrenui antehac populi, ſi inter eos exceſſus in opere venereo & infectio univerſalis impune tolerabatur, in efeminatos, impotentes degeneraverunt.

 Lues

Lues hæc antea populo agreſti incognita erat, nunc vero inter hunc etiam late diffundi incipit & in hoc non minus ac in magnis & populoſis urbibus communis evadet, niſi ejusmodi inducatur & conſtanter obſervetur ordo, qui increſcenti huic contagio cancellos ponere & effrænatis progreſſibus habenas injicere valeat.

Venerea lues ſingularem acrimoniam contagioſam pro cauſa agnoſcit, quæ nunquam per ſe ipſam ex quadam noſtrorum humorum corruptionis indole naſcitur, ſed ſemper per contagium infertur.

Sæpiſſime mediante impuro concubitu advenit infectio, dum una ex concumbentibus perſona ſana, altera vero lue hac venerea inquinata habetur.

Temperamenti calidi, ferventes & plethorici juvenes citius vehementiusque infeſtantur, quam illi, qui fibræ laxæ & temperamenti humidi ſunt & pituitoſi.

Quo morbus in inficiente magis invaluit, quo acrius & volatilius in ipſo fuerit virus venereum, eo etiam validius & citius inficietur homo ſanus.

Eadem

Eadem ratione etiam repetitus quilibet concubitus malum in deterius vertit.

Si duæ perſonæ coitum celebrent, quorum utraque hac lue infecta eſt, frequentiſſime accidit, ut virus, quod hactenus unam tantum corporis partem affecerat & in ea manſerat, tandem in ipſam maſſam ſanguineam ſuſcipiatur, ſeque deinde per corpus univerſum diffundat.

Proles a parentibus luem veneream modo hæreditario contrahere poſſunt, ſive in una ſolum perſona malum hoc hæreat.

Infans hac contaminatus acrimonia nutricem ſanam, multo adhuc facilius nutrix venerea ſanum infantem inficere valet.

Reliquæ infectionis methodi rarius obveniunt, impoſſibiles tamen non ſunt, ubi morbus ſemel invaluit & venenum acre valde & volatile redditum eſt; neceſſaria proinde cautela erit, ut ne quisquam cum ſimilibus in eodem lecto dormiat, nec veſtibus, quibus eorum corpus immediate tectum eſt, utatur, nec ſtatim poſt illos ex eodem poculo bibat, nec eodem ſine præmiſſa ſufficienti mundatione cochleari man-

ducet, quorum labia, lingua aut fauces venereis eroſa ſunt ulceribus.

Effectus virus venerei ſemper in iis ſe manifeſtant partibus, in quibus infectio obvenit, nonnunquam tamen accidit, ut virus in illa parte ſedem non figat, ſed brevi vaſis inhalantibus reſorptum ſanguini communicetur.

Si tum mitioris ſpeciei virus fuerit, nec corporis humores in diatheſin inflammatoriam aut putridam inclinent, fieri poterit, ut etiam tale venenum ſanguini communicatum iners plane in corpore maneat, aut brevi iterum a ſanguine ſecretum per urinam, alvum aut tranſpirationem de corpore eliminetur: quandoque tantum leves nec continuantes excitat moleſtias, quæ admodum facile aut naturæ viribus aut diæta conveniente aut levibus aufferuntur medicamentis.

Sæpe virus venereum incognitum quaſi in corpore deliteſcit, ubi præſertim infectus ab ulteriori ſimili exceſſu abſtinet, nec extraordinariis corporis aut animi exercitiis, nec ſtimulantibus, inebriantibus potulentis aut cibis aromaticis multum conditis continuan-

nuantem ſanguini agitationem concitet, qua ſopitum venenum excitetur, ejusque furori in actum prorumpendi præbeatur occaſio.

Sæpe autem hoc virus acre admodum volatile & actuoſum in principio ſtatim ſanguinis corruptionem inducit & adeo expanditur, ut non raro omnes corporis humores eodem inficiantur.

Hoc in caſu infecti ſæpe jam ſecundo aut tertio die, quandoque vero primo poſt octo aut plures ab impuro & contagioſo coitu elapſos dies inſuetam percipiunt laſſitudinem & genua vaccillantia, variis temporibus a ſanguinis orgaſmo calores & dedolationem artuum ſuperiorum & inferiorum experiuntur, caput grave aut obtuſo affectum dolore conqueruntur.

Hæc ſymptomata non raro ſubito evaneſcunt, ægri ab omni malo integre liberi & bene valere ſibi videntur, verum fallax hæc emendatio diu talis non perſiſtit; poſt breve tempus enim eadem ſe manifeſtant ſymptomata, quæ jam leviora ad veſperas vero notabilia magis evadunt & continua, in tepore lecti exaſperata, unde noctes inquietæ redduntur & inſomnes; ad auroram de-

demum omnium moleſtiarum adeſt remiſſio & ægri ſenſim in ſomnum labuntur.

Si latior obveniat corruptelæ propagatio augetur cephalalgia, dolorum vehementia articulos, varia corporis oſſa præſertim cranii aut extremitatum tam inferiorum quam ſuperiorum infeſtat, nec non oſſa ſterni & claviculæ afficit; hi dolores ſæpe de loco in locum oberrant, nonnunquam fixam in uno oſſe ſedem firmant, ibique intolerabilem fere, prementem, findentem excitant dolorem, clavique infixi ſenſum producunt.

Nonnunquam hi dolores oſſium maxillarum articulos invadunt & maxillæ cauſant tetanum.

Dum oſſium hi dolores diu in uno loco perſiſtunt, varii & quandoque vehementer dolentes nodi, tophi & exoſtoſes enaſcuntur.

Nonnunquam acrimonia oſſa ipſa arrodit & maligna horum ulcera, completam non raro putredinem pluriumque oſſium generat corruptelam, quam maxime autem oſſa narium aggredi amat, quæ penitus deſtruit aut ipſa oſſa cranii nonnunquam tan-

tope-

topere carie cnociliata conſumit, ut integra fruſta excidant & cerebrum denudetur.

Si virus venereum in oſſibus fiſtuloſis ſedem ſibi figat, ſi medullam & perioſtium internum invadat & arrodat, deterius adhuc malum eſt, nulla enim ratione huic acrimoniæ idoneus exitus conciliari poteſt, nec partes corruptæ a ſanis ſeparari & depurari queunt & dolorifica lentaque morte exſtinquuntur.

Sæpius autem lues venerea non tam oſſa aggreditur, quin potius externam corporis ſuperficiem occupat, malignamque & ſquamoſam ſcabiem producit & lepram, etiam in fronte temporibus varia parva, ſquamoſa ex flavo- fuſca ulcera exoriuntur, quæ tenacem, mucoſam, acrem & fœtidam ſubſtantiam continent, hæc vicina arrodunt, quandoque valide multiplicantur, perque faciem totam & partem capitis capillatam propagantur, in univerſo tandem corpore prorumpunt, validumque ardorem & pruritum excitant intolerabilem.

In collo etiam ſæpiſſime, in lingua, genis labiisque internis diverſa, profunde rubra,

rubra, calida, ardentia progerminant tubercula, ſimilesve maculæ, quæ admodum celeriter in inæqualia, ſordida, quaſi lardacea, vicinaque depaſcentia ulcera mutantur.

Hæc multoties in palato aut partibus œſophago magis vicinis profunda erodunt foramina, unde in loquendo aut deglutiendo immedicabile tota vita remanet impedimentum.

Similia ulcera valde maligna in naſo & cavis narium naſcuntur, ex quibus perpetuo fœtidus ichor aut tenax virido-flaveſcens aut nigro fuſca materies promanat: fœdiſſimum ſpectaculum; quos inde homines averſantur & abhorrent.

Non raro glandulæ parotides, glandulæ colli, ſubaxillares, inquinales indurantur, dolent & in maligna, cancroſa ulcera degenerant; quandoque in diverſis corporis partibus maculæ profunde rubræ apparent, hæ ulcuſculis ſtipantur flavo-fuſcis, ex quibus brevi tempore magna depaſcentia ulcera exoriuntur, quæ utplurimum adipoſam conſumunt membranam; hæc ſæpe in obeſis præſertim tota putrida, abominan-

nandum ſpargens odorem ex his ulceribus per magna fruſtra propendet & quamvis tales ægri perfecte curentur, deformis tamen, inæqualis & profunda relinquitur cicatrix.

Quandoque cutis in pluribus corporis locis ſponte rumpitur, diverſasque profunde rubras, multum dolentes, calloſas producit nomine rhagadum.

Nonnunquam internas hæc acrimonia oculorum erodit partes & cæcitatem generat omnis medelæ ignaram.

Subinde etiam in corporis deſævit viſcera, illaque depaſcitur ex integro, quare ex hac unica cauſa omnes morbi poſſibiles originem trahere valent & non raro, cum cauſa tam maligna ſit, mortem adferunt aut corruptæ ſaltem partis fructiones integre deſtruunt, corporique perinde damnum cauſant irreparabile.

Si vero jam ſemel plenaria omnium humoram corruptio contigit, pluraque jam viſcera ad officium ſuum evaneſcere inepta, tum nonnunquam obvenit, ut hæc acrimonia irruat in partes genitales, eas celeriter admodum devaſtet, copioſumque & conti-

nuum

nuum fuſcæ, nigreſcentis fœtidæ materiæ in illis excitet profluvium; his factis brevi minuuntur vires, fœtor cadaveroſus exoritur, plures in putredinem vertuntur partes & ſphacelo conſumuntur, quibus tandem malis innumeras inter calamitates toties exoptata mors finem imponit.

Hoc modo lues venerea ſuam ludere ſolet tragœdiam, ubi ipſius virus ſanguinem ingreſſum corrumpit penitus & ſolidas etiam partes ex integro deſtruxit.

Accidit autem frequentiſſime, ut lues venerea in ſuo primordio eas tantum partes deſtruat, in quibus contagium factum fuit, unde igitur utplurimum morbi ſingularium partium generantur, quæ vero neglecti aut novis exceſſibus aut prava medendi methodo in pejus verſi ſanguinis infectionem & ſupra recenſita excitant ſymptomata.

Inter morbos, qui ab acrimonia venerea absque ſanguinis infectione producuntur in partibus ſingularibus frequentiſſimus eſt gonorrhæa ſeu urethræ exulceratio.

Hic morbus oritur, dum mediante coitu impuro virus venereum cuidam urethræ

plagæ

plagæ ſe affigit, eandem irritat, inflammat, perpetuumque mucoſæ ſtillantis puriformis aut virideſcentis materiei procreat effluvium.

Raro admodum primo ſtatim aut ſecundo ab impuro congreſſu die aliqua adſunt gonorrhææ prænuncia. Utplurimum autem quarto, quinto, ſexto die aut ſerius etiam accidit, ut infecti titillantem in fine urethræ pruritum percipiant & ardorem, qui ad omnem urinæ excretionem augetur, demum ſæpe ad initium urethræ dolens obſervatur rubedo & viſcoſus aquoſus mucus exſtillat.

His præſentibus dolores per totam propagantur urethram, mictumque valde moleſtum reddunt, penis erecta rigeſcit & incurvatur & perinde intolerabiles ardentes tenſiones atque dolorifica in teſtibus viciniſque partibus cauſatur contractio.

Tota ſubinde glans inflammatur, mingendique augetur ſtimulus & dolorificus magis adhuc evadit, pariter in glande & præputio profunde rubræ cum ſummo ardoris ſenſu ſtipatæ maculæ, ſimiliaque tubercula aut ulcera proveniunt rodentia: ſæpe

pe præputium inflammatur totam contegens glandem, eandemque non ſine dolore comprimens, ut ſic tam urinæ quam materiæ malignæ profluvio obſtaculum ponat, ſæpe vero præputium retro glandem inſtar collare contractum inflammatum & adeo tumens viſitur, ut collum glandis firmiter ſtrangulet, ſanguinis ſiſtat regreſſum & citiſſime, ſi præſertim acrimonia valde maligna ſit, gangrænam inducat: hoc vero malum paraphymoſis audit.

Quamdiu dolorum perſiſtit vehementia & urethra tenditur, tamdiu materiei effluxus rite non ſuccedit, utplurimum vero hæc remittunt, fluxus etiam liberior habetur & copioſior.

De materiæ profluentis malignitate juxta coloris varietatem judicium fertur; albida flava vel puriformis non adeo mali moris eſt ac viridis, fuſceſcens nigreſcens aut fœtida; peſſima autem habetur, quæ putridæ carnium loturæ ſimilis aut viridis eſt aut ſanguine permixta.

In genere homines bona cæteroquin ſanitate gaudentes, ubi prima vice gonorrhæam

hæam contraxerunt, facile ab ea liberantur.

Quo ſæpius autem hic morbus eundem de novo hominem adoritur, eo malignior eſt & curæ reſiſtit eo pertinacius.

Si gonorrhæa in parte urethræ anteriore ſedem fixerit, nec cauſa admodum maligna ſit, raro malas poſt ſe trahit ſequelas.

Quo autem profundius penetrat, quo propius ad collum veſicæ urinariæ aut veſiculas ſeminales accedit, eo etiam periculoſior eſt & curatu difficilior, dolorifica quoque ſymptomata vehementiora ſemper ſunt & diuturna magis.

His in caſibus ſæpe maxime maligna & incurabilia ulcera, ſinus & fiſtulæ naſcuntur, aut etiam perpetuum urinæ ſtillicidium, ſi vero ipſa receptacula ſeminalia exulcerata ſint, conſumptionem inducens ſeminis profluvium ſequitur.

Quamprimum gonorrhææ prima ſeſe oſtendunt indicia, ægrum ſtatim quietum eſſe & ab omni ulteriori exceſſu, a potu calefaciente, a cibis aromatibus conditis, pinquibus, acidis, fumo induratis, aliisque

difficilioris digeſtionis abſtinere oportet, decocta vero Nro. 1. 2. 3. 4. 5. 6. copioſe aſſumat, membrum præterea infectum ſæpius de die in calido aquæ aut lactis balneo detineat.

Si talia remedia mox in principio ſufficienti doſi adhibeantur, peſſimis non raro ſequelis occurritur facile, dolor ardor & pruritus brevi diſparent, urina fluit liberior, ſæpe etiam intra breve temporis ſpatium fluxus materiei notabiliter imminuitur, tenuis evadit & aquoſus.

In circumſtantiis adeo ſecundis ægro omni quarto aut ſexto die pulv. Nro. 7. bis aut ter exhibetur, interne decoctum Nro. 8. copioſe bibendum injungitur.

Hac ratione leves nec radicatæ adhuc gonorrhææ feliciter curantur.

Quandoque autem cura non adeo perfecte & facile ſuccedit; dolor quidem & ardor in excernenda urina remediorum ſupra recenſitorum uſum remittunt, ſed fluxus materiei ex viridi flaveſcentis non minuitur.

In tali caſu præter prius dicta decocta omni quarto, ſexto, aut octavo die, pro ut

ut circumſtantiæ poſtulant & vires admittunt ægro purgans Nro. 9. 10. 11. aut 12. 13. 14. exhibendum eſt.

Si per hæc notabilis & conſtans ſequatur mali emendatio, medicamenta purgantia toties repetere ultra neceſſe non eſt, decoctis tamen prius recenſitis ſedule & tamdiu continuandum eſt, donec æger penitus curatus fuerit.

Si infectio non nimis maligna fuerit, nec admodum vehementia ſtatim in principio adſint ſymptomata, nec firmam adhuc virus in corpore ſedem fixerit, nec jam urethræ roſerit partes, hæc curandi methodus utplurimum ſufficiens eſt.

Contra vero, ſi jam primis diebus dolor intolerabilis, penis erectus, rigidus & incurvus, urina ſtrangurioſa, valida ſitis, calor magnus, pulſus plenus durus foret & tenſus, venam ſecare convenit, nec non refrigerantia & attenuantia, ut Nro. 1. 15. 16. 17. 18. porrigere, penem emollienti herbarum balneo imponere, omniaque in febribus inflammatoriis præſcripta adhibere oportet.

Eo tempore etiam alvus præſertim obſtructa hujusmodi decoctis Nro. 19. 20. 21. reſerari & evacuari poteſt.

Utprimum vero febris remittit & calor, doloris vehementia & ardor imminuitur, etiam a refrigerante curandi methodo deſiſtendum & æger ratione ſupra memorata tractandus eſt.

Si vero perinde non brevi tempore conſtans procuretur emendatio aut ſi ægri purgantia non ferant, effluensque materies viridem ſemper & cæruleſcentem colorem habeat, præter decocta emollientia prius recenſita etiam medicamenta, ut Nro. 22. 23. 24. aut 25. 26. 27. exhibenda ſunt.

Similium remediorum uſus nunquam diu nimis differendus eſt, ſi gonorrhæa vehemens fuerit multumque maligna, præcipue ſi ſurſum verſus collum veſicæ urinariæ aut veſiculas ſeminales propagetur, nec priora medicamenta conſtantem brevi emendationem efficiant.

Multum promovetur cura, ſi præter ſuperiora medicamenta pars illa, in qua gonorrhæa ſedem habet, quotidie aut omni

ni alterno die unguento Nro. 18. leniter fricetur.

Cum injectionibus in gonorrhæa admodum caute mercandum eſt, nec ſine gravi cauſa & ſemper tantum leviſſime fieri debent, ne acrimonia vi verſus collum veſicæ urinariæ adigatur.

Si vero materia profluens tenax adeo & glutinoſa ſit, ut ſufficienti copia non abſcedat & liberum urinæ impediat exitum, remediis Nro. 1. 17. 29. & 30. quotidie aliquoties lenis inſtituitur injectio.

Verum ſi ardor vehemens nimis, materies effluens tenuis & acris foret, remedia Nro. 30. 31. 32. pro injectionibus optime ſerviunt.

Sæpe optima medicamenta recte quidem applicantur, tamen hoc non obſtante fluxus gonorrhæicus continuat, quod non raro accidit in ægri emolumentum, quia hac ratione acrimonia per idoneas vias evacuatur, tum etiam ſecuritas naſcitur nihil in ſanguinem ſuſcipi, quod illum inficere, corrumpere, aliaque terribilia & periculo plena mala producere valeret.

Idcirco adſtringentes & ſtipticæ injectiones ſemper vitandæ ſunt, ubi profluens materies acris, tenax, male colorata aut fœtida advertitur, conſequenter virus venereum actuoſum adhuc & malignum eſt.

Si vero morbus regularem obſervavit decurſum & idonea adhibita fuerunt remedia, ſi profluens materies ex flavo-virideſcente aut fœtida in materiem ex albo flavam benignam nec male olentem puriformem transmutetur & demum tenuior aquoſa & lenis evadat, nec æger peculiares ultra dolores percipiat &c. certitudo ſumma habetur integre deletum eſſe virus venereum, continuansque profluvium ſolum a partium antea affectarum debilitate & laxitate pendere; in hoc modo caſu licitum eſt lenibus ſtipticis, ut Nro. 33. 34. 35. injectiones facere, verum nec his profluvium ſubito ſiſtendum, nec remediis fortiter adſtringentibus utendum eſt: hæc enim ſæpe cauſant indurationes aut urethram valde anguſtam, mictumque nimis moleſtum reddunt.

Injectiones magnam ſachari ſaturni copiam continentes nunquam adhibere licet, utplu-

utplurimum quidem ſymptomata citiſſime mitigant, ſed earum ſequelæ horrendæ ſunt & diuturnæ nec non raro ad optima quævis medicamenta rebelles.

Eadem ratione tempeſtive nimis adhibita nocent medicamenta balſamica, etenim calorem, ſitim, ſtranguriam, dolores vehementes excitant & inflammationes.

Cuncta hæc remedia effluxum impediunt, unde ſæpe in cauſa ſunt, ut acrimonia venerea reliquis miſceatur humoribus, aut in alias transferatur partes.

Si vero, tum balſamica Nro. 36. 37. 38. 39. 40. adhibentur, quando medicamentis prioribus virus venereum deſtructum, dolores ablati, materies effluens mitior reddita & bene colorata eſt; demum illa magnam ſæpe præſtant utilitatem, malumque tollunt ex integro, præcipue, ſi ægri ſimul decocta, ut Nro. 41. 42. copioſe aſſumant.

Sæpe gonorrhæa jam inveterata firmiterque radicata tantæ pertinaciæ eſt & malignitatis, ut omnia hucusque adducta aut alia ſimilia methodo diverſa & tempore longo uſurpata remedia nihil omnino juvent,

 ſed

ſed fluxus ſemper adſit, materies acris perſiſtat & male colorata, moleſtaque maneat urinæ excretio.

Tali in caſu medicamenta, ut Nro. 22. 43. 44. 45. 46. 47. tentari poſſunt.

Neceſſe igitur ſemper eſt, ut mox ſimilia adhibeantur remedia, ubi conſueta medendi methodus fructu ſperato carere animadvertitur; imo his etiam remediis ſtatim a gonorrhææ principio uti licet & experientia docet per eadem quoque optimum haberi effectum, præſertim ſi dolorum atrocitati unguento Nro. 28. externo ſuccurratur.

Si glans aut præputium vehementer inflammatum, tumidum rubrum & præternaturaliter calidum ſit, ſi æger magnum ſimul calorem percipiat, plethoricus ſit, hic etiam, ut in quavis inflammatione ſufficienti ſanguinis detractione, fomentis emollientibus, ſimilibusque balneis refrigerantibus, attenuantibus leniterque alvum ducentibus remediis urgens malum auferre oportet. Sed utprimum inflammationis vehementia & febris remittunt, priora gonorrhææ oppoſita remedia illico adminiſtranda ſunt.

Simul

Simul autem requiritur, ut partes adhuc inflammatæ ſæpius de die in balneo calido ex herbis Nro. 48. parato per longam detineantur moram, eædem herbæ decoctæ inſtar cataplaſmatis partibus his continuo applicentur; inde communiter inflammatio brevi reſolvitur, diſcutitur & ex integro omnis pellitur tumor.

Nonnunquam vero in his partibus tumor laxus, lymphatica materie plenus adhuc remoram agit: hoc frequentiſſime evenit, ubi emollientia cataplaſmata aut fomenta diu nimis continuantur, quo in caſu nihil efficacius eſt, quam remedii Nro. 49. externa applicatio.

Si contra laxos ejusmodi & aquoſos tumores mox ab initio ſpirituoſis tollere tentamus, totum ſæpe inducatur præputium & rigidum redditur. Si tales indurationes nondum inveteratæ ſint, feliciter utplurimum fomento quodam, ut Nro. 50. emollitæ percurantur.

Si autem ſub præputio tenax, acris & irritans materies niduletur, leniter depurantibus injectionibus educenda eſt.

Præ-

Præputium abſque neceſſitate ſumme urgente nunquam diſcindi debet, novam enim excitat inflammationem, ſymptomata in deterius vertit, peſſimasque ſæpe producit ſequelas.

Fomenta ex herbis Nro. 48. etiam inſerviunt, dum in glande aut præputio excreſcentiæ aut maligna obſervantur ulcuſcula, ſæpe tamen ulcera præſertim pertinaciter omni medelæ reſiſtunt; quæ, ſi impura, lardacea, calloſa ſint, ſemperque rodant profundius, inſuper quotidie bis remedio Nro. 51. illinenda, aut pulvere Nro. 52. conſpergenda ſunt.

Præſcriptorum autem in gonorrhæa remediorum uſus internus ſemper continuandus eſt.

Si acrimonia hæc glandulas invadens inquinales in iis tumorem producat & indurationem, hoc mali genus bubones venerei appellantur.

Quandoque ſine prægreſſa gonorrhæa brevi poſt impurum coitum oriuntur, ſi videlicet acrimonia in urethra locum fixum non obtineat, ſed vaſis reſorpta lympha-

ticis

ticis ſubito ad glandulas inquinales deffe-ratur.

Similes autem primo prodeunt, dum virus venereum per univerſam jam diffuſum eſt ſanguinis maſſam & exinde ad glandulas inquinales metaſtaſim poſuit.

Frequentiſſime vero bubones producuntur venerei, ubi gonorrhæa initio neglecta aut tempeſtive adhibitis balſamicis aut medicamentis adſtringentibus effluxus ſubito ſuppreſſus, acrimonia conſequenter ad haſce partes depoſita ſit.

Cutis, ſub qua bubones venerei locantur, colorem retinet utplurimum naturalem, ægri vero ambulando magnum ſemper percipiunt impedimentum atque dolorem.

Quandoque bubones hi admodum duri inæquales ſunt & nodoſi, atque ſi non rite pertractentur, etiam in cancrum degenerant aut incurabiles poſt ſe fiſtulas relinquunt, quandoque vero prorſus ſingularis & validus dolor eos concomitatur & inflammatio, atque æger valida ſimul febre corripitur.

Dum bubones a gonorrhæa retropulſa ortum ducunt, ſæpe citiſſime iterum diſpa-rent, utprimum fluxus gonorrhæicus co-pioſus denuo reducitur.

Bubones venerei non inveterati nec ad-modum maligni plerumque diſcutientur fa-cillime, ſi ægri remediis Nro. 53. 54. 55. 56. debite utantur & magnam inſuper de-coctorum, ut Nro. 3. 5. 6. quantitatem hauriant.

Quodſi valde pertinaces ſunt, multum juvat non intermiſſo priorum remediorum uſu indurationes has quotidie aut omni al-terno die unguento Nro. 28. bene fricare aut emplaſtro obtegere mercuriali.

Si vero hæc remedia ſufficientia non ſint, ſimilia ut Nro. 22. 24. 26. 27. 57. re-cenſentur, adhibere oportet.

Dum autem bubones vehementer in-flammati multum dolent, cataplaſmata & fomenta emollientia applicare, pro ratione venam ſecare, nec non medicamenta refri-gerantia attenuantia atque emollientia in magna copia non ſecus, ac in febribus in-flammatoriis propinare iisque tamdiu conti-

nuare

nuare convenit, donec inflammatio & febris perfecte fuerint ſedata.

Superata inflammatione nec motu amplius in pulſu febrili percepto remedia illico prius recenſita adhibere oportet.

Quandoque contingit, ut nec febris nec inflammatio mitigetur, tum plerumque ſuppuratio ſuccedit; hæc omni poſſibili modo promovenda eſt & quamprimum tumor ſat mollis & pure repletus deprehenditur, illico aperiendus eſt, ſæpe autem ſponte rumpitur.

Tunc temporis plerumque febris ex integro ceſſat & in tali demum caſu ſuperiora porriguntur remedia & ulcus caute admodum conſolidatur.

Tumores teſtium venerei indurati aut inflammati pro diverſitate ſymptomatum eadem ac bubones tractantur methodo.

Nonnunquam in perineo copioſum pus colligitur pluraque purulenta oriuntur tubercula, quæ illico aperiri debent, alias his in regionibus profunde exulcerantes fiſtulæ & ulcera enaſcuntur maligna.

Contingit etiam ſubinde, ut penis inflammatus, inflammati & indurati teſticuli

aut

aut bubones venerei ſubito in gangrænam abeant: ſi ægri multum debilitati ſint, pulſus quoque debilis exploretur & celer, illico remedia, ut Nro. 58. 59. propinentur, fomentaque parentur ex herbis *ſub Nro.* 60. enarratis.

Eadem ipſa remedia, quæ in pertinaci gonorrhæa, in bubonibus proſunt venereis, utplurimum etiam felici cum ſucceſſu contra diurnas anginas, ophthalmias venereas, contra veneream arthritidem, tophosque venereos, tumores, ſcirrhos, exoſtoſes, ulcera, cariem oſſium ex hac acrimonia natam, contra ſcabiem veneream aliosque ſimiles morbos &c. adhibentur.

Ulcera venerea maligna & caries mane ac veſperi præterea medicamentis Nro. 30. 61. 62. ablui, depurari, linteis carptis iisdem remediis imbutis contegi debent.

Aut ſimilia ulcera mundata prius remediis ſuperioribus bis de die pulvere Nro. 52. conſpergi poſſunt.

Si virus venereum inflammationem in collo, oculis aut aliis partibus producat, febrisque ſe adjungat admodum valida, methodus antiphlogiſtica generalis in principio

pio adhibenda eſt, cui inſiſtendum, donec febris ceſſet & inflammationis vehementia remittat, poſthæc vero illico remedia contra virus venereum laudata adhibenda ſunt.

Si pertinaciter adhuc faucium rubor perſiſtat, æger omni tertia aut quarta hora remedio Nro. 30. leniter gargariſare jubeatur, quodſi non ſufficeret, quatuor aut ſex cochlearia de Nro. 25. 26. aut duo cochlearia de Nro. 27. admiſceantur.

Simili quoque ratione idem remedium frequentiſſime in pertinacibus, ſordidis, lardaceis faucium aut palati ulceribus prodeſt, quodſi ſufficiens non ſit, ejusmodi ulcera bis quotidie remedio Nro. 51. aut 63. illinenda & mediante peniſtillo perungenda ſunt.

Remedium Nro. 63. etiam ad condylomata venerea adhiberi poteſt, ſed in omnibus his caſibus ſuperiora ſimul medicamenta in uſum trahere oportet.

Non raro remedium Nro. 30. maligna admodum ulcera narium venerea ſanat, ſi æger tepide ſæpius attrahat aut in illas partes lenis fiat injectio.

In

In omni hucusque luis venereæ recenſito caſu præſcriptorum medicamentorum loco unguenta mercurialia cuti affricta aut cura ſic dicta inunctoria adhiberi poſſunt.

Hæc curandi methodus ſingularem ſuam utilitatem habet & præ omnibus aliis remediis palmam meretur; verum magnam cautelam requirit & conſummatam illius experientiam, qui eam adhibere jubet, multi præterea ægri ſunt, quorum temperamentum, ſtatus & officium non admittit, ut ea utantur.

Sæpius vero ad mixtam curandi methodum confugere licet, quæ in eo poſita eſt, ut inunctiones externæ interno medicamentorum uſui conjungantur.

Optime hæc medendi ratio tum inſtituitur, quando remedia interna tarde admodum aut prorſus non deducuntur in actum, tunc inſuper omni tertio aut quarto die juxta ægri conſtitutionem duæ, tres aut quatuor drachmæ unguenti Nro. 28. femoribus aut brachiis infricandæ ſunt.

Non

Non raro hac ratione remedia interna actuoſa redduntur & cura multo celerius feliciusque plerumque ſuccedit.

Sæpe per tales frictiones ſymptomata doloris & periculi plena cito admodum aufferuntur, his factis ab inunctionibus prorſus abſtinere aut eas modo ſemel omni octavo die inſtituere licet.

Econtra in pertinaci quovis luis venereæ caſu uſus medicamentorum internorum, etſi morbus perfecte videatur ſublatus, nec ullam amplius æger querelam moveat, per plurium adhuc ſeptimanarum ſpatium copia minori continuandus eſt, ut ſecuritas habeatur virus venereum integre deletum, ſanguinem omni hac labe purum, nec ullam deinceps facile alias obvenientem metuendam eſſe recidivam.

Attamen præſcripta hucusque medicamenta mercurialia in iis tantum uſuvenire poſſunt caſibus, in quibus nec inflammatio adeſt vehemens neque febris valida.

In illis enim, in quibus virus venereum maſſæ humorum permixtum febrem continuam validam aut viſceris alicujus inflammationem excitaverit, ſimilia medicamenta,

quamdiu hæc ſymptomata in ſua vehementia perſeverant, ſummopere nociva forent.

Quare ejusmodi febris aut inflammatio venerea in principio ita plane, ut quævis alia febris acuta continua tractanda eſt, ideoque his ægris pro ratione virium ſuarum venam ſecare & attenuantia refrigerantia aut ſimilia etiam lenia purgantia, ut in febri quavis inflammatoria, exhibere oportet, quibus tamdiu, quamdiu febris perſiſtit, inſiſtendum eſt.

Febris enim venerea etiam hoc cum aliis febribus commune habet, ut acrimoniam ſuam, ſi vires naturæ bonæ ſint, ſæpe ita coquat & mitiget, ut aut nullum amplius adferre poſſit detrimentum, aut de ſanguine evoluta per ſudores, urinam vel alvum de corpore eliminetur aut denique ad partes deponatur externas, quibus evacuationibus ipſa tandem febris terminatur.

Nonnunquam talis febris viginti, triginta pluribusque diebus durat, quandoque autem jam paucos intra dies ſine prægreſſa febre vehementi metaſtaſis contingit talis.

Subin-

Subinde febris remittit & copioſus fœtensque ſudor obſervatur aut urina fœtida turbida ſenſum validi ardoris excitans magna copia profluit.

His in circumſtantiis decocta Nro. 1. 3. 4. 5. 6. ægris porriguntur & longo tempore horum uſus protrahitur, his ſanguis ex integro depuratur & ſanitas perfecte reſtituitur.

Quandoque in decremento febris rubicunda milliari ſimilis efflorеſcentia per univerſum corpus diffuſa apparet, quæ præcipuo intolerabili pruritu & ardore noctes reddit inquietas, hoc in caſu eadem etiam decocta dari poſſunt, ſæpeque obvenit, ut brevi ad hæc materies exanthematica exſiccata furfuracearum ſquamularum forma decidat: ad ſomnum conciliandum veſpere ſemper remedium Nro. 64. præpinatur.

Subinde autem efflorеſcentia admodum pertinax perſiſtit, medicamenta ſuperiora levamen nullum adferunt, & ægri ſemper circa veſperas laſſitudinem majorem calores vagos & moleſtum in corpore pruritum experiuntur, inde remedia Nro. 65. 66. 67. 68. 69. exhibentur, ad quorum uſum ſæpe

cito copioſus fœtensque ſudor ſequitur, aut talis urina mingitur, cum imminutione efflorefcentiarum, ſimilibus in mutationibus conſtanter hac methodo proceditur.

Si vero poſt diu continuatum horum remediorum uſum nullum animadvertatur levamen, ad ſupra recenſita mercurialia deveniendum eſt medicamenta.

Simili modo cum ægro agitur, dum remittente febre venerea validi capitis dolores, arthritides, dolores oſſium, aut alia ſymptomata ex virus venerei transpoſitione enaſcuntur, aut dum exinde viſcus aliquod correptum in ſua functione turbatur.

Ægri lue venerea prius affecti ſæpe admodum meticuloſi & puſilanimes ſemper animo dubium anxie circumvolvunt, an omne de corpore virus eliminatum ſit, nec ne.

Verum ſi malo debite ſtatim remediis indicatis obex poſitus & conſulta hucusque circumſpectione continuatum fuerit, nihil in corpore remanet, niſi forte æger malum denuo contraxiſſet aut remediis præſcriptis diu ſatis non fuiſſet uſus.

Con-

Conſueta antehac cura per ſalivationem his temporibus inutilis & noxia eſſe videtur, cum hujusmodi ægri per alias vias facilius ſanentur & nunquam tantopere enerventur, unde omni poſſibili modo ab hac methodo cavendum eſt.

Quamprimum animadvertitur in gingivis pruritum, dolorem & tumorem naſci aut inflari glandulas colli, dentesque inſenſiles evadere & vaccillantes vel os ſaliva ſemper repleri, ægro purgans propinetur & decoctis emollientibus frequenter gargariſet, quale Nro. 3. videre eſt: vel os internum colluat & a mercurialibus abſtineat tamdiu, donec omnia hæc ſigna iterum evanuerint.

Multi ſunt, quos parva mercurii doſis illico in ſalivationem conjiciat & tales utplurimum mercurialibus aut difficillime aut prorſus non curantur.

Qua de cauſa hiſce remediis neque minus etiam in frictionibus mercurialibus a minima doſi inchoetur, effectus obſerventur inde enati & juxta ægri conſtitutionem remedia adhibeantur oportet.

Sunt contra nonnulli, qui minima doſi cito & feliciter reſtituuntur, alii vero magnam copiam adhibere debent, priusquam notabilis effectus advertatur.

Remedia Nro. 25. 26. 27. ſi ab ægris ferantur, ſæpe omnium ſunt in plurimis caſibus venereis efficaciſſima.

Sed plurimi dantur, quibus hæc medicamenta detrimentum adferunt, tales ſunt, qui debili pectore laborant, tuſſim ſæpius patiuntur ſiccam, irritabile nimis nervorum ſyſtema poſſident & frequentibus obnoxii ſunt hæmorrhagiis &c. quamprimum nunc animadvertitur ſub horum medicamentorum uſu ægrum continuum in ſterno ardorem vel conſtantem cephalalgiam, incipientia animi deliquia, pondus ventriculi & vomendi ſentire conatum, ſtatim intermittendus eſt eorum uſus vel ita imminuenda doſis, ut ne minimam amplius æger moleſtiam experiatur.

Præter hæc medicamenta, ſi nimis debilem aut nimis tardum producerent effectum, frictiones inſuper unguento Nro. 28. ut ſupra fieri poſſent, mixtaque hæc curan-

di

di methodus non raro facilis reperitur & bona.

Sæpius eorum virtus perinde adhuc augetur, ſi omni octavo aut duodecimo die purgans interponatur. Plethoricis autem venæſectio neceſſaria eſt.

In feminis fluor albus venereus malignus vel ſtranguria venerea eodem modo tractatur, ſanaturque ac in viris gonorrhæa.

Ita æque remedia pro pertinacibus ulceribus venereis, excreſcentiis & condylomatibus ſupra memorata proſunt, ſi hæc mala mulierum partes genitales infeſtent vel anum.

In reliquis non minus a lue venerea productis malis cura apud ſexum muliebrem ab ea, quæ apud virilem adhibita eſt, nihil diverſi omnino habet.

Ulcera venerea maligna omnem vaginæ locum afficere poſſunt, ſæpe etiam adſunt, quin ſimul fluoris albi aut in mittenda urina moleſtiæ indicium appareat.

Sæpe admodum profunde verſus uteri collum ſedem ſuam habent, nec ullum notabile producunt ſymptoma, hinc femina

poteſt eſſe infecta, quæ poſt omnem indagationem circumſpecte inſtitutam ſana videtur.

In genere omnia hæc ſymptomata in ſexu femineo multo leniora ſunt & tolerabiliora, quam in ſexu maſculo: ideoque fit, ut in principio frequenter ſe negligant, nec opem implorent, antequam vehementer malum invaluerit.

Hoc apud pudicas animique boni feminas obvenit, quæ de conjugum ſuorum fidelitate perſuaſæ hos dolores aliis cauſis longe innocentioribus adſcribunt, quare ſuas moleſtias nemini patefaciunt malo interea ſemper increſcente.

Peſſima, maxime maligna & dolentiſſima ſpecies eſt, ubi virus venereum multas vaginæ partes reddit induratas, tamque maligna inflammatione affecit, ut ipſæ in fiſſuras quodammodo diſſiliant, acerrimamque urentem fœtidam ſaniem exſtillent. Infectio a tali perſona omnium eſt periculoſiſſima.

Injectiones remediorum ut Nro. 30. 31. 70. hoc in caſu magnum levamen adferunt & cura utplurimum bene ſuccedit, ſi præter

ter remedium Nro. 56. multum inſuper decocti emollientis, ſanguinem depurantis, ut Nro. 3. 4. 5. 6. exhibeatur.

Formulæ.

Nro. 1.

℞. Rad. altheæ. Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. Unc. ij.

m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 2.

℞. Flor. ſambuc.
fol. malv. aâ M. ij.
conſciſſ. exhibe:

Nro. 3.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
flor. altheæ M. jβ.
glycyrrh. raſæ Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
colatur lib. ij. exhibe.

Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 4.

℞. Rad. bardanæ Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
dein colatur lib. ijβ. adde:
ſyr. fumar. Unc. ijβ.
liq. terr. foliat. tartar. dr. iij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 5.

℞. Rad. altheæ Unc. iij.
fol. altheæ M. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 6.

℞. Rad. bardanæ Unc. vj.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 7.

℞. Rhei elect. dr. ß.
Myrobalan. citr. gr. xv.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 8.

℞. Rad. conſolid. major. Unc. jv.
— altheæ Unc. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 9.

℞. Cremor. tartar. gr. xx.
rad. jalap. ſcrup. ij.
m̄. f. pulv.

Nro. 10.

℞. Aq. laxativ. D. V. Unc. iij. vel jv.
Sal. polychreſt. dr. ij.
Sumat pro unico hauſtu.

Nro. 11.

℞. Fol. ſennæ Unc. β.
mann. elect. Unc. jβ.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. miſt. inf. in aq. ferv. lib. β.
relinque vaſe clauſo per ½ hor.
dein colatur. exhibe.
Pro hauſtu.

Nro. 12.

℞. Pulv. rad. jalap. ſcrup. ij.
mercur. dulc. gr. v.
m̄.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 13.

℞. Scammonei gr. xv.
reſin. jalap. gr. v.
mercur. dulc. gr. iij.
ſachar. alb. gr. xx.
m̄.
f. pulv. tenuiſſ. pro doſi.

Nro. 14.

Nro. 14.

℞. Maſſ. pil. Mercurial. Ph. Prov. gr. xxjv.
f. inde pilul. Nro. vj.
Pro doſi.

Nro. 15.

℞. Lapid. cancror. gr. xx.
nitr. pur. gr. x.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 16.

℞. Nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. vj.
m̄.

Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 17.

℞. Hord. crud. Unc. iij.
aq. pur. lib. jv.
coq. per ½ hor.
colatur dein adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. aut
mel. pur. Unc. ij.
m̄. Pro potu.

Nro. 18.

℞. Rad. gramin. Unc. ij.
— acetoſæ Unc. β.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 19.

℞. Prunor. exſiccator. Unc. ij.
hord. crud. Unc. jβ.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſ. Unc. jβ.
m̄. Uſus, ut prioris.

Nro. 20.

℞. Tamarindor. Unc. ij.
rad. altheæ Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
nitr. pur. dr. jβ.
mann. elect. Unc. jβ.
ſyr. berber. Unc. j.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio vaſculum.

Nro. 21.

Nro. 21.

℞. Rad. altheæ Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur. lib. jß. adde:
mann. elect. Unc. ij.
ſal. polychreſt. dr. iij.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 22.

℞. Mercurii dulcis gr. xij.
aquæ fumariæ lib. j.
ſyrup. fumariæ Unc. ij.
m̄.
Sumat omni trihorio cochlear. duo.

Nro. 23.

℞. Extract. aconit. gr. iij.
mercur. dulc. gr. vj.
ſachar. alb. dr. j.
m̄. f. pulv. tenuiſſim.

Diu terendo in mortar. marmor. qui dividatur in ſex partes æquales.

Sumat æger bis vel ter de die pulv. unum.

Nro. 24.

Nro. 24.

℞. Mercurii vivi puriſ. dr. j.
gummi arab. dr. iij,
terantur invicem, donec mercurius perfecte diſpareat in mortar. lapideo. Inter terendum probe miſcendo adde.
ſyrup. fumar. Unc. ij.
aq. fœnicul. Unc. viij.

m̄.

Sumat bis vel ter de die cochleare unum, ſenſim augendo doſim, ſi opus eſt.

Nro. 25.

℞. Mercur. ſubli. corroſiv. gr. vj.
ſolv. exactiſſ. in ſpirit.
frument. lib. j.

Sumat mane ac veſper. cochlear.

Nro. 26.

℞. Mercur. ſublimat. corroſiv. gr. vj.
aq. deſtil. ſimpl. Unc. xij.
m̄. exactiſſime.

Uſus, ut prioris.

Nro. 27.

℞. Mercur. ſublimat. corroſiv. gr. iij.
tere in mortar. vitreo in pulv. tenuiſſ.
dein adde ſenſim & continuo terendo
roob ſambuc. Unc. iij.
exactiſſ. miſta exhibe.

Sumat ter de die parvum cochlear, ſenſim augendo doſim, ſi opus.

Nro. 28.

℞. Mercurii vivi Unc. j.
axungiæ porcin. Unc. jv.
tere uſque ad mercurii extinctionem.
unguentum detur uſui.

Nro. 29.

℞. Decoct. hord. lib. jß.
mel. roſar. Unc. j.
m.

Nro. 30.

℞. Herbæ cicutæ
flor. ſambuc. aâ M. j.
conſciſſ. miſt. infund. ſ. q. aq. fervid. per ½ hor.
colatur. lib. jß. adde:
mel. pur. Unc. jß.
m.

Nro. 31.

℞. Aq. flor. ſambuc. lib. jß.
mel. roſar.
ſyrup. moror. aâ Unc. jß.
ſucci ſemper vivi major.
recent. expreſſ. Unc. jv.

m̄.

Nro. 32.

℞. Decoct. hord. lib. jß.
mucilag. ſemin. cydon. Unc. ij.
ſyrup. diacodii Unc. j.

m̄.

Nro. 33.

℞. Aq. roſar. Unc. vj.
aceti litharg. gtt. xij.

m̄.

Nro. 34.

℞. Fol. Plantagin. acut. M. j.
— arnicæ pug. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur lib. j. exhibe.

Pro injectione.

Nro. 35.

℞. Borac. venet.
alumin. rupei aâ gr. x.
aquæ fontan. lib. j.

m̄.

Uſus, ut prioris.

Nro. 36.

℞. Olibani
maſtich. aâ dr. j.
ſucci liquirit. inſpiſſ. Unc. ß.
terebinth. q. ſ.

m̄. f. pilul. gr. jv.

Sumat omni trihorio pilul. duas.

Nro. 37.

℞. Olibani
maſtich. aâ dr. ij.
myrrh. elect. dr. j.
terebinth. q. ſ.

m̄. f. pilul. gr. iij.

Sumat ter de die pilul. quatuor.

Nro. 38.

℞. Camphor. dr. iij.
ſpirit. vini rectif. q. ſ.
ut fiant pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. duas, ſenſim augendo doſim, ſi opus eſt.

Nro. 39.

℞. Balſam. de Meccha gtt. vij.
vitel. ovor. Nro. j.
in mortario marmoreo bene tritis & ſubactis adde miſcendo
ſyrup. fœnicul. Unc. jß.
aq. ſalv. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni trihorio duo cochlear.

Nro. 40.

℞. Pulv. glycyrrh. Unc. ß.
terebinth. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat omni trihorio pilul. duas.

Nro. 41.

℞. Herbæ agrimoniæ
— virgæ aureæ
flor. verbaſci aā M. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 42.

℞. Rad. Polygalæ
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 43.

℞. Herbæ flammulæ Jovis
glycyrrh. aà Unc. j.
conſciſſ. miſt. d. uſui.

Nro. 44.

℞. Rad. gratiolæ dr. ij.
conſciſſ. infund. ſ. q. vini p. hor.
colatur lib. j. exhibe.
m̄.
Sumat omni bihorio uncias duas.

Nro. 45.

℞. Herbæ gratiolæ
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 46.

℞. Extracti aconiti dr. j.
—— cicutæ Unc. β.
m̄. exactiſſime
ut fiant pilul. gr. iij.
Sumat ter de die duas.

Nro. 47.

℞. Herbæ cicut.
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 48.

℞. Fol. malvæ
flor. melilot.
— ſambuci
herbæ cicutæ
— arnicæ aâ M. ij.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 49.

℞. Aq. fontan. lib. j.
aceti litharg. dr. jß.
m̄.

Nro. 50.

℞. Aq. rutæ lib. jß.
ſal. ammoniaci dr. iij.
aceti rutacei Unc. ij.
m̄.

Nro. 51.

℞. Extract. cicutæ dr. j.
mel. pur. Unc. j.
m̄. exactiſſ.
Detur uſui.

Nro. 52.

Nro. 52.

℞. Pulv. fol. flammul. Jovis Unc. j.
Detur uſui.

Nro. 53.

℞. Extract. cicut. Unc. β.
maſſ. pilul. extract. cathol. dr. j.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die tres pilul.

Nro. 54.

℞. Extract. cicut. Unc. β.
f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. duas, ſenſim augendo doſim.

Nro. 55.

℞. Sapon. veneti
gumm. ammoniac.
extr. cicut. aâ dr. ij.
maſſ. pilul. ruffi dr. β.
elixir. proprietatis q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die pilul. tres.

Nro. 56.

℞. Mercurii dulcis dr. ß.
extract. cicutæ dr. ijß.
m̄. exactiſſime &
fiant pilul. gr. iij.

Sumat ter de die pilul. tres, ſenſim augendo doſim, ſi opus.

Nro. 57.

℞. Scammonei
mercurii dulcis aâ dr. j.
extract. aconiti dr. ij.
m̄. exactiſſ. &
fiant pilul. gr. iij.

Sumat ter de die pilul. duas, augendo doſim, ſi opus eſt.

Nro. 58.

℞. Pulv. cort. peruv. ſubtiliſſ. Unc. j.
aquæ rutæ Unc. x.
vini boni Unc. iij.
ſyrup. menth. Unc. ij.

m̄.

Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 59.

Nro. 59.

℞. Cort. peruv. ſeleƈtiſſ. Unc. jß.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. hor.
colatur lib. ß. adde
ſachari albi
aq. cinnamom. ſimpl. aâ Unc. jß.

m.

Sumat omni hora aut bihorio vaſculum tepide.

Nro. 60.

℞. Herbæ abſynthii
— ſcordii
— marrub.
— arnicæ aâ M. ij.
conſciſſ. miſt. d. uſui.

Nro. 61.

℞. Herbæ cicutæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. vaſe clauſo
per ½ hor.
colatur lib. jß. exhibe.

Nro. 62.

℞. Flor. flammul. Jovis Unc. ß.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ¾ hor.
colatur lib. jß. exhibe.

Nro. 63.

Nro. 63.

℞. Mercurii ſublimat. corroſivi gr. x.
tere in mortar vitreo in pulv. ſubtiliſſ.
dein ſenſim adde terendo.
extracti cicutæ dr. j.
intime ſubactis & permiſtis adde quoque ſenſim & continuo miſcendo
mel. puri Unc. jβ.
exactiſſ. miſt. exhibe.

Nro. 64.

℞. Amygdalar. dulciu. Unc. jβ.
fiat emulſio & colatur lib. j.
adde:
ſyrup. papav. alb. Unc. j.
m̄.
Sumat omni hora vaſculum.

Nro. 65.

℞. Extract. aconit. gr. β. vel j.
nitr. pur. gr. x.
lapid. cancror. gr. xx.
m̄.
f. pulv. tenuiſſim.
Sumat bis vel ter de die unum.

Nro. 66.

Nro. 66.

℞. Extract. gratiolæ dr. j.
magneſiæ muriæ dr. vj.
ſemin. fœnicul. dr. j.
m̄. f. pulv.

Sumat ter de die quantum cultri cuſpide capi poteſt.

Nro. 67.

℞. Rad. bardanæ Unc. jß.
— altheæ Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
mercur. præcipitat. rubr. gr. j.
ſyrup. fumariæ Unc. ij.
m̄. abſumat quotidie.

Nro. 68.

℞. Pulv. antim. crud. in petia ligati Unc. iij.
rad. ſarſaparil.
viſci quercini aâ Unc. j.
ligni ſaſſafras Unc. ß.
conſciſſ. miſt. coq. lento igne in lib. v.
aquæ ad remanentiam lib. jß.
dein colatur exhibe.

Sumat mane ac veſpere vaſculum.

Nro. 69.

℞. Rad. ſarſaparil. Unc. ij.
ſtipit. dulcamar. dr. iij.
conſciſſ. coq. vaſe clauſo ſ. q. aq
per tres hor.
colatur lib. jß.
leviter expreſſæ adde:
ſyr. fumariæ Unc. ij.
m̄.
Sumat ter vel quater de die vaſculum.

Nro. 70.

℞. Rapar. albar. cum cortic. Unc. vj.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jß.
leviter expreſſæ adde
ſyrup. moror. Unc. jß.
m̄.

De Morbis Sexus feminini Singularibus.

Femina a creatore deſtinata eſt conceptui, geſtationi & nutritioni fœteus in utero ſuo, tandemque ejusdem excluſioni ad noni menſis finem.

Vi

Vi horum munerum a natura injunčtorum & neceſſariæ ſuæ ad hæc corporis ſtructuræ peculiaribus feminæ morbis ſubjacent, a quibus mares omnino liberi ſunt.

Anno ætatis decimo tertio, quarto, quinto puellæ plerumque ad ſuam perveniunt pubertatem, hoc enim tempore partes earum genitales evolvuntur & ad conceptum aptæ evadunt.

Natura hujus rei manifeſta præbet indicia: tunc temporis enim ex pudendis mulierum ſine illata vi externa ſanguis profluit.

Hic fluxus ſæpe duobus, tribus, quatuor diebus durat, apud nonnullas novem dies continuat, ceſſat tandem, poſt elapſas quatuor ſeptimanas iterum rediturus: atque hoc ſingulis menſibus ad annum uſque quadrageſimum, quinquageſimum obvenit, tum natura ab hoc opere ſenſim deſiſtit & tandem plenarie fluxus hic evaneſcit.

Evacuatio hæc menſes, menſtrua, menſtruatio, catamenia, fluxusque mulierum menſtruus aut menſtrua appellatur purgatio.

Non-

Nonnullæ multum, alia parum admodum ſanguinis per hanc evacuationem amittunt, neque tamen larga neque parca menſtruatio morbus eſt, ſi ſimul bona mulieres fruantur valetudine.

Quo maturius menſtrua prorumpunt, eo citius iterum emanent, qua de cauſa nonnullæ dantur feminæ, in quibus jam trigeſimo octavo vel quadrageſimo ætatis anno terminantur, in aliis contra ad quinquageſimum uſque & non raro adhuc ultra regulariter perſiſtunt.

Quamdiu menſtrua regulariter recurrunt, nec aliud eſſentiale adeſt impedimentum, tamdiu mulieres conceptui aptæ habentur, quamprimum autem naturaliter ceſſant, ſteriles evadunt.

Sunt tamen feminæ, in quibus menſtrua nunquam apparent; hæ plerumque ſteriles exiſtimantur, exempla nihilominus exiſtunt tales quoque mulieres peperiſſe, proinde neque generalis neque tuta lex hæc eſt, ſemper tamen dubioſa remanet.

Similiter etiam mulieres concipere poſſunt, antequam illis menſtrua prodeunt, prudentius interim ſemper agitur, ſi menſtruo-

ſtruorum præſtoletur adventus & nuptiæ differantur eouſque, donec puellæ ad concipiendum, fœtum nutriendum & excludendum robur ſufficiens nactæ ſint, etenim ſi admodum juvenes, imbeciles & teneræ ſint, nec robuſtas poſſunt progignere proles & non raro in primi partus opere ſupra modum debilitantur, nonnunquam mutilantur.

In ſanis, alacribus, bene conformatis puellis prima menſtrua facile plerumque inſenſibiliter & absque omni moleſtia prorumpunt, poſt unius menſis ſpatium feliciter redeunt, atque ſic ordinem ſuum exacte ſemper obſervant.

Illæ autem, quæ vitam otioſam, ſegnem vivunt, duris præterea & indigeſtibilibus cibis veſcuntur aut copioſis tepidis potibus corpus enervant & alias etiam valetudinariæ ſemper exiſtunt, aut debile nimis & irritabile poſſident nervorum ſyſtema, ſpaſmisque vexantur, ut & illæ, quæ multo & ſpiſſo ſanguine abundant, vaſis nimium rigidis tenſisque gaudent &c. hac in re tam felices non evadunt.

Quare

Quare plurimæ reperiuntur, quæ toto tempore, quo menſtrua fluere deberent, morbis tentantur.

Nonnunquam accidit, ut aliquæ ſtatim a principio menſtrua per multos menſes optime & regulariter experiantur, dein vero per plures menſes ſubito ſubſiſtant.

Si tamen eo tempore perfecta fruantur valetudine, ſi coloris boni animique ſint hilaris, ſi nihil conquerantur, illis medicinam facere neceſſe non eſt, ſed ſoli naturæ opus ſuum perficiendum committitur.

Si vero valetudinariæ ſint, inquirendum eſt accurate, an morboſæ hæ circumſtantiæ ab emanentibus oriantur menſtruis, anve ob alium in corpore hærentem morbum obveniant; in hac differentia curationis cardo verſatur.

Multi enim morbi retentis ſæpe imputantur menſtruis, qui revera ab his non dependent, ſed contrarium potius evenit, ut ſcilicet nequaquam menſes retenti morbos hos producant, ſed ut hi morbi tantam in corpore excitent turbam, vel corpus adeo debile reddant, ut natura in opere ſuo turbata

bata ſufficientes ad fluxum menſtruum promovendum vires non habeat.

Si in ſimilibus caſibus menſtrua provocare nitimur, non modo nihil præſtamus, ſed potius omnia in deterius vertuntur; quare hi morbi idoneis prius aufferendi ſunt remediis, atque tum temporis fluxus menſtruus ſponte iterum revertetur.

Puellæ, quæ in tenella ætate magnos & diuturnos morbos paſſæ ſunt aut cæteroquin ſemper imbeciles & valetudinariæ ſerius plerumque ac aliæ menſtrua adipiſcuntur; poſthæc vero ſanitas illarum multo conſtantior evadit.

Dum puellæ ad maturitatem pervenerunt & tempus adeſt fluxus menſtrui, inſuetam communiter laſſitudinem aut etiam ſanguinis animadvertunt orgaſmum, calores vagos verſus caput experiuntur, colorem faciei commutant ſæpius, inquiete dormiunt, vertiginem, capitis dolores, cordis patiuntur palpitationes; aliquæ deſtituuntur appetitu aut conatus vomendi percipiunt, aliis alvus obſtruitur, quibusdam vero lenis accedit diarrhæa, denique tenſiones moleſtas in lumbis, oſſe ſacro & epigaſtrio per-

cipiunt, brevi adhæc nonnullæ de pudendis exſtillant ſanguinis guttæ aut perfecte ſequitur menſtrua purgatio, ſicque omnia ſymptomata remittunt; fit etiam quandoque, ut ſanguinis loco aquoſus tantum albeſcens mucus prodeat, concilietque levamen.

Sæpe autem ſupradicta ſymptomata per plures menſes regulariter comparent & poſt aliquot dies ſine notabili evacuatione iterum evaneſcunt, atque hoc ſignum eſt naturam quidem ſecundum leges ſuas opus hoc inchoare, verum ſufficientia ejus nondum adeſſe conamina.

Apud quasdam contra prima etiam menſtrua facillime, fere inſenſibiliter & ſine omni moleſtia erumpunt.

Si ſymptomata ſuperiora nec vehementia nec diu perſiſtentia ſint, ſanitatem proinde non lædant, nullis opus eſt medicamentis.

Si autem pulſus celer, calor magnus & continuus, caput grave vel dolens, facies rubicunda foret, bis vel ter de die pulvis Nro. 1. exhibeatur & unum vel duo Vaſcula Thée Nro. 2. deſuper bibere jubeantur, proſunt etiam remedia Nro. 3. 4. 5. 6. recenſi-

cenſita, præcipue ſi quotidie calido utantur pedum balneo, alvumque emollientibus enematibus moveri ſibi concedant.

Sanguinis miſſio nunquam neceſſaria eſt, niſi magna plethora, febris & continua pectoris oppreſſio, pulſus durus & plenus obſervetur, ſique remedia refrigerantia brevi levamen non adferant.

Si vero circumſtantiæ ſuperiores in teneris, imbecilibus & ad ſpaſmos pronis puellis obvenirent, illis remedia Nro. 7. vel 8. præter Thée Nro. 9. exhibentur.

Quamprimum autem menſtrua debite & regulariter procedunt & ſymptomata ſublata ſunt, omnia medicamenta ſeponi debent.

Nihilominus durante menſtruorum fluxu omnes animi affectus ſubitanei vel validi corporis motus cavendi & partes inferiores contra frigus muniendæ ſunt: omnia dura, tenacia, flatulenta eſculenta & potulenta calida detrimento quoque ſunt.

Pluribus feminis ſymptomata priusdicta aliquot ſemper diebus accidunt, antequam menſes debite fluere incipiant illasque ægro-

 tantes

tantes & ad munera ſua obeunda reddit ineptas.

Hoc in caſu harum moleſtiarum cauſam ad amuſſim indagare & juxta hanc medelæ rationem dirigere oportet.

Si robuſtæ quotidiano ſimul labore induratæ feminæ ſint, ſi pulſus tenſus, celer & durus, facies plena & bene colorata ſit, ſi de anxietatibus, pectoris oppreſſione, continua vertigine &c. querelas moveant, ſignum eſt vaſa eorum nimium eſſe rigida, ſanguinem nimis ſpiſſum vel & valde copioſum; magnam tunc decoctorum emollientium, attenuantium Nro. 2. 4. 6. 10. 11. quantitatem aſſumere debent, præterea quotidie bis vel ter pulvis Nro. 1. 12. propinari vel clyſmatibus emollientibus ſubveniri poteſt. Si vero magna animadverteretur plethora, venam in brachio aperire neceſſe eſt.

Sæpe plethora hæc aufferri & moleſtiæ præcaveri poſſunt, ſi tales mulieres per aliquod tempus remedia ſimilia, ut Nro. 13. 14. 15. 16. aſſumant vel ſi aliquot menſibus per totam ſemper illam hebdomadam, quæ menſtrua præcedit, quotidie mane ac veſperi

ſperi pulvere Nro. 17. utantur, & qualibet vice vaſcula duo Thée *ſub Nra.* 2. deſuper bibant.

Multis etiam optime conducit aliquot diebus antequam menſtrua prodire ſolent remedium purgans Nro. 18. 19. aſſumere.

Si autem inde plethora minui nequeat, ipſis bis vel ter per annum vena ſecanda eſt: quod tamen ſine magna cauſa in conſuetudinem verti non debet.

Sæpe vero enarrata ſuperius ſymptomata non a plethora, verum potius a ſpiſſitudine ſanguinis & accumulato muco originem trahunt, ſimiles feminæ vel palleſcunt vel ex viridi flaveſcunt, laſſæ ſunt, facies, manus pedesque vel univerſum etiam corpus paſtaceo frigido tumore turget, ipſæ difficulter reſpirant, palpitationem cordis ſentiunt & quolibet levi motu brevi defatigantur.

Hoc in caſu in id incumbendum eſt, ut incidentibus, attenuantibus & leniter alvum ducentibus remediis tenax ſolvatur materies, paullatimque de corpore eliminetur; ideo illis medicamenta talia, ut Nro. 20. 21. 22. 23. 24. exhibentur, atque his

tamdiu inſiſtitur, donec tumor ille paſtaceus evanuerit.

Præter hæc remedia ad convenientem laborem, motumque corporis adigendæ ſunt, omnia dura, indigeſtibilia, flatulenta, pituitam generantia alimenta vitanda, leniter autem aromatica exhibenda.

Sæpe vero tales feminæ pituita jam integre inſciſa & de corpore eliminata laſſæ adhuc ſunt & debiles, ad quemvis levem etiam corporis motum dolores capitis, cordis palpitationem reſpirationisque percipiunt impedimentum & valde cacochymicam gerunt faciem.

Hoc in caſu illis roborantia Nro. 25. 26. 27. 28. porriguntur.

In teneris, multum debilibus feminis ſymptomata ſuperiora ſæpiſſime a ſpaſmodica in epigaſtrio contractione oriuntur & plerumque adventantibus menſtruis ventris tormina & inflationes, validas cordis palpitationes, tendinum ſubſultus, leniora animi deliquia &c. conqueruntur. Spaſmodica hujusmodi ſymptomata remediis, ut Nro. 7. 8. 9. 29. 30. citiſſime cedunt.

Si

Si tales mulieres abſoluto fluxu menſtruo lene purgans, ut Nro. 31. aſſumant & deinde pilulis Nro. 25. longo adhuc tempore utantur, utplurimum malum hoc prævertere & ab eo prorſus ſeſe liberare poſſunt.

Quandoque indurationes in abdomine vel in uteri regione deteguntur, quæ menſtruationem difficilem reddunt & dolentem.

Tunc temporis medicamenta ſolventia, ut Nro. 21. 22. 32. 33. 34.-35.-36.-37.-38. optime conducunt: ſed uſus eorum diu continuandus prætereaque partes induratæ mane ac veſperi unguento Nro. 39. bene fricandæ ſunt.

Eædem cauſæ, quæ menſtruorum initium dolorificum efficiunt & moleſtum, impedire poſſunt, ut illa aut non ſufficienter fluant, aut prorſus retineantur: in his quoque caſibus ad remedia priora pro cauſarum diverſitate recurrendum eſt, nunquam vero medicamenta pellentia vel emenagoga exhiberi debent, niſi obſtacula prius ablata ſint.

Subinde vero fit, ut etiam in ſanis cæteroquin feminis prægreſſa acurata quamvis

perſcrutatione cauſarum nulla notàbilis vel evidens reperiatur, vi cujus menſtruorum fluxus impediretur aut retinetur: quare in his circumſtantiis, ubi ſigna manifeſta non adſunt, determinata etiam cúrandi methodus nequit præſcribi, nihilominus tamen tunc medicamenta, ut Nro. 21.- 22.- 25.- 33.- 35. ſæpe magnum præſtant emolumentum, ſi uſus eorum præter lene attenuans decoctum, ut Nro. 32.- 34. per plurium ſeptimanarum ſpatium continuetur.

Ejusmodi remedia etiam non raro admodum efficacia ſunt & menſtruationem denuo in ordinem redigunt, poſtquam hæc ſine cauſa manifeſta pluribus menſibus emanſerant.

Nonnunquam menſtrua regulariter quidem debito tempore redeunt, ſed aliquæ tantum tenaces nigreſcentis ſanguinis guttulæ pudendis exſtillant, vel paucus tantum tenax ſanguine mixtus prodit mucus; pectoris ſimul oppreſſio naſcitur vel palpitatio cordis & cephalalgia, corpus totum dedolatum eſt, pulſus exploratur inæqualis & debilis, pallent ejusmodi feminæ ſemperque frigent &c. his in caſibus remedia leniter

ter menſtrua pellentia, ut Nro. 8. - 40. 41. - 42. - 43. exhiberi poſſunt. Pediluvia & enemata hic quoque multum boni præſtant, ſed valide pellentia, calida & ſtimulantia medicamenta ſemper nocent.

Non raro menſtruorum loco mucoſa aquoſa male colorata ſubſtantia pauciſſima tantum quantitate prodit & prius dictæ inſuper molectiæ apparent, hic etiam iisdem leniter pellentibus remediis uti licet.

Poſt vehementes vel diuturnos morbos, poſt nimias evacuationes, hæmorrhagias vel etiam ſanguinis miſſiones ſæpe nimis absque neceſſitate repetitas menſtrua quandoque diſparent diuque ſilent: hoc ex humorum requiſitorum deffectu atque corporis debilitate contingit.

His in caſibus adlaborandum eſt, ut deperditi humores lento pede nutrientibus alimentis ſenſim reſtituantur atque demum per lenes frictiones & convenientem corporis motum in aëre puro ruſticano partes debilitatæ corroberentur.

His incaſſum adhibitis remediis roborantia Nro. 26. - 27. - 28. - 44. ſubſtituuntur.

Sæpe

Sæpe menſtruorum fluxus valido terrore, ira, magno & inſperato gaudio, refrigeratione &c. ſubito ſupprimitur; neque minus hic etiam omnes circumſtantiæ & inde perfecta ſymptomata ſollicite in conſiderationem ducenda ſunt.

Si febris valida cum multo per corpus univerſum calore, ſiti magna & laſſitudine una cum continua cephalalgia, oppreſſione pectoris & impedita reſpiratione inde naſcatur, illico vena ſecanda eſt, atque, ut prius dictum, frequentioribus clyſmatibus & pediluviis, medicamentis refrigerantibus, emollientibus exorbitanti ſanguinis orgaſmo calorique moderando & hac ratione menſtruis promovendis ſtudere oportet.

Subinde autem poſt ſubitam menſtruorum ſuppreſſionem non adeo vehemens calor exoritur, neque pulſus tenſus, neque admodum febrilis obſervatur, tunc temporis etiam nulla venæ ſectio celebranda eſt, ſed decocta tantum emollientia Nro. 2. - 4. - 6. porrigantur, pediluviis præterea ſubveniatur & enematibus; ſi vero neceſſitas exigeret etiam remedia leniter menſtrua pellentia, ut ſupra tentari poſſunt,

In

In debilibus & ſpaſmis obnoxiis feminis ſæpe poſt leviſſimam iram, terrorem, gaudium vel etiam ab ingrato odore ſubito menſes ſupprimuntur; his remedium Nro. 45. utplurimum optime conducit.

Si catamenia pluribus menſibus etiam in cæteroquin ſanis feminis emaneant, accidit ſæpe, ut ſimul & ſemel admodum ſubito & copioſiſſime prorumpant, hoc nequaquam metum injiciat oportet, multo minus ſtatim ab initio adſtringentibus utendum, ſed conſilium ſolum dandum eſt, ut fluxu durante quietæ maneant, omnemque refrigerationem & animi motum ſollicite evitent.

Quodſi vero copioſus talis fluxus diu nimis continuaret, ſi laſſitudines, pedum vacillationes, incipientia animi deliquia, preſſiones tractionesque in regione cordis &c. cauſaret, iisdem remediis ut Nro. 46. 47. 48. agere oportet.

Verum iſtis ad minuendam menſtruæ evacuationis copiam non ſufficientibus ad fortiora, ut Nro. 49. 50. 51. deſcendimus. Quamprimum autem hiſce fluxus ad moderamen deductus eſt, hæc omittenda ſunt,

ſolum-

ſolumque prioribus, ſi adhuc neceſſe videatur, aliquo procedatur tempore.

Sæpe menſtruus fluxus in continuam & diu durantem uteri hæmorrhagiam mutatur.

Hoc nonnunquam plethoricis obvenit, nonnunquam etiam & ſæpe quidem illis, quæ tenero, nimis debili & laxo vaſorum ſanguineorum ſyſtemate præditæ ſunt.

In primo caſu ægræ bene proſpiciunt, pulſus plenus eſt & tenſus, viribusque conſtant.

Ejusmodi feminis vena ſecari, lene purgans ut Nro. 18. 19. tandem mane ac veſperi pulſus ut Nro. 12. 52. 53. cum binis Vaſculis Thée Nro. 48. exhiberi debet. Perinde hæmorrhagia ſenſim minuitur & tandem integre ceſſat.

Si nihilominus pergeret, nec ulla amplius plethoræ ſigna adeſſent, aut ſi vires deficere, genua vaccillare, cor palpitare inciperet &c. ad remedia ſupradicta adſtringentia confugiendum foret.

In altero caſu feminæ admodum pallent, multum laſſæ ſunt & poſt quemlibet etiam exiguum corporis vel animi motum

de

de palpitatione cordis, de anxietate aut reſpiratione difficili querelas movent.

Hic pulvis Nro. 103. porrigatur & demum remediis ſtatim adſtringentibus hæmorrhagiæ caute ſiſtendæ ſtudeatur.

Ubi hoc feliciter effectum eſt, diuturno remediorum ut Nro. 26. 27. 55. uſu partes laxæ roborentur, & præcaveatur recidiva.

In nonnullis hæmorrhagia admodum diu perdurat, non tamen recens, purus ſed ſpiſſus, tenax, nigreſcens & muco copioſo permixtus excernitur ſanguis; hic in principio attenuantia & incidentia medicamenta ut Nro. 23. 24. 43. in uſum trahere neceſſe eſt; prætereaque omni octavo aut decimo die pulvis Nro. 54. repeti poteſt.

Sic ſæpe malum pedetentim tollitur.

Subinde vero non obſtante diuturno horum remediorum uſu hæmorrhagia uteri pergit, ſed ſanguis profluens purior, tenuior, bene coloratus & clarior eſſe advertitur, tum denuo ſuperiora medicamenta adſtringentia optimo cum effectu porriguntur.

Si vero mucoſus ejusmodi, diu perſiſtens ſanguinis fluxus ſimul multa cum acri-

monia

monia conjunctus eſſet, & in partibus genitalibus externis vehementem pruritum vel ardorem cauſaret, in principio ægris remedia, ut Nro. 33. 56. 57. 58. præſcribenda veniunt.

Ubi præter diuturnam uteri hæmorrhagiam ſcirrhi ſimul vel maligna, cancroſa in utero aut partibus vicinis exiſtunt ulcera, remedia ut Nro. 22. 33. 59. 60. longo tempore exhibenda ſunt, ſique externæ genitalium partes ſauciæ vel ab acrimonia exulceratæ eſſent, remedium Nro. 60. etiam pro ablutione inſervit aut injectione.

Sæpiſſime fit, ut menſtruis jam terminatis per plures adhuc dies mucoſa, albicans materies profluat, tandem vero prorſus ceſſet, quandoque etiam mucoſum hoc profluvium diebus aliquot præcedit menſtruorum fluxum, eſtque ejus prænuncium. Hoc plerumque in debilibus feminis aut in illis contingit, quæ phlegmatici ſunt temperamenti: ſi harum ſanitas jacturam exinde nullam patiatur, non aliud quam conveniens corporis exercitium & debita vivendi norma conſilio detur.

Si vero talis fluxus nimis copioſus foret & debilitans, ut ſupra lene purgans Nro. 54. & ad hoc roborantia medicamenta porriguntur.

Frequentiſſime autem ab uno menſtruationis tempore in alterum viſcoſus mucoſus aquoſus humor ex partibus genitalibus promanat & fluoris albi nomine inſignitur.

Multæ feminæ ſimilem fluorem album facillime ſæpe ferunt, nec ullis remediis opus habent, modo parcus ſit, nec ullas moleſtias cauſet.

Si vero hæc materies nimia copia aut nimis longo jam excernatur tempore, corpori debilitatem, maciem inducit & maraſmum, aut exinde quoque ſpaſmi, reſpirationis difficultas, pectoris dolores, palpitationes cordis, memoriæ debilitas, artuum tremores &c. oriuntur, præcipue ubi malum hoc jam inveteratum & pertinaciter radicatum fuerit.

Non raro fluor albus ex propria feminarum culpa naſcitur, ſi incuriæ partium genitalium munditiei frequentiorem ablutionem negligunt; ita enim adhærens cruor vel

vel mucus acrimoniam contrahit, partes has irritat, continuumque effluvium producit.

Non minus etiam cunctæ validæ & frequenter repetitæ harum partium irritationes fluorem album admodum pertinacem inducere valent.

Quædam mulieres albo fluore laborantes valde pallidæ totoque corpore inflatæ ſunt, & paſtaceo quaſi tumore turgent, difficillime reſpirant, & ad minimum corporis motum vehementem, moleſtam experiuntur cordis palpitationem, nullumque utplurimum appetitum, ſed nauſeam potius habent; aliæ contra in res inſolitas & indigeſtibilia magno ſæpe deſiderio feruntur, vomunt frequentius, de pondere & anxietate in cordis ſcrobiculo continuas querelas movent, pulſum parvum, celerem, inæqualem gerunt, urinam pallidam, copioſam & nonnunquam mucoſam excernunt, libenter diuque ſomno indulgent, ſegnes & triſtes ſunt vel moroſæ.

Hæ circumſtantiæ a ſuperfluo & acida aliave acrimonia permixto muco, quo corpus turget producuntur: qua de cauſa in

prin-

principio talia, ut Nro. 21. 22. 23. 24. 36. exhibenda ſunt medicamenta, quæ integram ſæpe valetudinem reſtituunt.

Quandoque vero, licet tumor aliæque minuantur circumſtantiæ, partes ſolidæ nihilominus admodum laxæ manent, color quoque pallidus perſiſtit & pulſus parvus, nec fluxus multum remittit, tum medicamentis roborantibus, ut Nro. 26. 27. opus eſt.

Eadem quoque roborantia inſerviunt, ubi fluor albus in ſola partium ſolidarum laxitate & debilitate ſuam agnoſcit originem: bonum tamen ſemper eſt, ſi prius pulvis Nro. 61. ſemel aut bis exhibeatur, ut primæ viæ antea repurgentur.

Nonnunquam vero peculiaris uteri mucoſitas unica fluoris albi cauſa exiſtit, & in hoc caſu remedium Nro. 43. laudabile eſt.

Fluorem album exinde ortum ducere cognoſcitur, ſi reliquæ corporis functiones bene conſtitutæ ſint, ſi feminæ utcunque bonum præ ſe ferant aſpectum, ſemper autem obſcurum dolorem, pondus, tenſionem vel prementem in epigaſtrio titillationem

nem experiantur, dum fluxus aliquo tempore emanet, aut parca quantitate procedit.

Sæpe fluxus in principio ad uſum remedii Nro. 43. augetur, verum brevi poſthac mucus tenuior & fluidior evadere obſervatur, fluxus dein minuitur, & non raro per unicum hoc remedium ex integro ſenſim auffertur.

Quandoque hoc medicamentum multum levaminis adfert, muci minuitur tenacitas & copia, verum talis deinceps ſemper perſeverat. Hic præter uſum remedii Nro. 43. omni quarto vel ſexto die remedium Nro. 61. exhibendum eſt, cujus ope tandem malum evaneſcit.

Si autem ægræ vehementi vel diu admodum continuante fluore albo jam nimis exſiccæ & conſumptæ ſint, ſi de frequenti & ſicca tuſſicula, de oppreſſionibus pectoris & doloribus lancinantibus in ſterno perceptis conquerantur, ſi vires amittant, loquela difficilis evadat, & ſic porro: præter remedium Nro. 43. ſæpius de die vaſculum humectantis decocti, ut Nro. 62. vel avenæ, hordei aut oryzæ cremorem aliaque hume-

humectantia & nutrientia juſcula aſſumere jubentur.

Quodſi vero fluor albus non obſtantibus his medicamentis ſemper continuet, remedii Nro. 43. loco talia danda ſunt, ut Nro. 63. 64. vel ut Nro. 65. 66. 67. 68. recenſentur.

Sæpe fluor albus intra breve tempus ceſſat, ſed non diu poſt reſpiratio redditur difficilis, tuſſis exoritur, cui tandem mucoſa ſputorum excretio ſuccedit; hæc medicamentis ut Nro. 4. 69. leniter promovenda eſt; ſi tamen hæc tuſſis nimis diu continuaret, remedia Nro. 63. 64. præſtanter proſunt, atque utplurimum perfectam ſanitatem adferunt.

Si fluor albus acer ſit & fœtidus, atque ſenſim pruritus, dolorem urentem & exulcerationes producat, præſertim ſi ſcirrhi, vel maligna ſimul in abdomine ulcera animadverterentur, medicamenta ut Nro. 33. 56. 57. 58. 60. 70. propinari poſſunt.

Præterea autem partes genitales ſæpius de die aqua tepida & lacte vel remedio Nro. 71. abluendæ ſunt, fortiter adſtringentia ſtiptica medicamenta in quovis fluore

albo, maxime autem, ubi ſcirrhi ſimul adſunt, nociva ſemper experiuntur.

Nonnunquam feminæ prægreſſa refrigeratione continuum urentem in infimo abdomine conqueruntur calorem, multa inſuper ſiti laborant, laſſæ ſunt, magnum deprehendit tangens manus in abdomine calorem & duritiem tactu validos excitantem dolores: lingua ſicca habetur & pulſus febrilis: poſt aliquot dies malum remittit & mucoſum de pudendis profluvium obſervatur, hoc paulo poſt puriforme evadit illisque ſimillimum ſputis, quæ poſt peripneumoniam comparere ſolent.

Hoc in caſu uterus plerumque inflammatus habetur: ſtatim igitur, ſi febris adſit valida, venæſectio inſtitui & pro ratione circumſtantiarum repeti debet: externe fomenta emollientia conſtanter applicentur, injiciantur que clyſmata, interne vero magna decoctorum ut Nro. 2. 4. 6. copia exhibeatur.

Cum his pergitur tamdiu, quamdiu dolor perſiſtit & febris & quamdiu fluxus purulentus ſpiſſus eſſe perſeverat.

Sæpe

Sæpe hic fluxus ſub uſu horum medicamentorum protracto penitus remittit; ſæpe vero tenuior quidem & aquoſior evadit, non tamen imminuitur; hic per aliquot dies remedium Nro. 43. dandum eſt, dein medicamentis ut Nro. 63. 64. 72. cura ad finem uſque perducitur.

Quando anni appropinquant, in quibus feminæ ad concipiendum evadunt ineptæ, menſtrua in pluribus ſenſim minuuntur, aut irregulariter obveniunt & brevi poſt ſæpe ſine relictis moleſtiis prorſus diſparent.

In nonnullis, quæ antea ſemper morboſæ erant, non raro etiam evenit, ut ceſſantibus menſtruis longe meliore & conſtante magis fruantur ſanitate.

Apud alias contra menſtruorum fluxus non adeo leniter utiliterque terminatur, ſed ſubitas ſæpius ſanguinis effervescentias, calores aſcendentes, anxietates, pectoris oppreſſionem, tractiones in oſſe ſacro & lumbis, tormina ventris, cordis palpitationes, incipientia animi deliquia, vertigines, cephalalgias & ſimilia cauſat.

Nonnunquam hæc ſymptomata admodum vehementia ſunt, & longo tempore

perdurant; nonnunquam autem vaga ſolummodo nec diu perſiſtentia obſervantur.

Feminis plethoricis tunc venæſectio in pede inſtituenda eſt, & poſt aliquod tempus urgente neceſſitate repetenda; ſæpius præterea purgans ut Nro. 18. 19. porrigitur, aut aliquo tempore decoctum Nro. 14. vel alia hujusmodi medicamenta ſubſtituuntur.

Si vero ſymptomata adeo valida non ſint, nec plethora notabilis adverteretur, ſufficit quotidie bis vel ter pulverem, ut Nro. 1. 12. vel remedium Nro. 73. cum decocto *ſub Nro.* 2. 6. ægro longiori exhibere tempore.

Teneris, imbecillibus, valde irritabilibus aut ſpaſmodicis affectionibus obnoxiis feminis his in caſibus remedia conveniunt, quæ Nro. 8. 9. 21. 25. 74. enarrantur.

Sæpe menſtrua poſtremis ſuis periodis fluunt copioſiſſima, nulla tamen peculiaria excitant ſymptomata, & tandem ſimul & ſemel in perpetuum exulant.

Non raro etiam accidit, ut poſt aliquot menſes præter exſpectationem iterum revertantur, per plures menſes regularem ſer-

ſervent periodum, & denuo tandem emaneant.

Subinde vero admodum irregulariter jam intra brevius jam longius temporis ſpatium redeunt, tum denique omnium finis habetur.

Si his in caſibus nullæ peculiares circumſtantiæ obveniant, quæ ſanitati nocivæ aut moleſtæ forent, nullis utendum medicamentis, ſed natura in opere ſuo terminando occupata ſibi relinquenda eſt.

Quodſi vero quædam ex ſuperioribus ſymptomatibus accederent, ſupradicta etiam ratione percuranda ſunt.

Hoc temporis ſtadio balnea ex emollientibus vel etiam lenibus aquis mineralibus inſtructa maximi ſunt emolumenti, obſtructiones fortaſſe adhuc reſiduas reſerant, circulum ſanguinis regularem reddunt & liberum, atque hac ex ratione ad ſanam perducunt ſenectutem.

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Lapid. cancror. gr. xx.
nitr. pur. gr. x.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 2.

℞. Rad. altheæ Unc. iij.
fol. altheæ M. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 3.

℞. Nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. vj.
m̄.
Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 4.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 5.

Nro. 5.

℞. Nitr. pur. dr. j.
roob ſambuc. Unc. ij.
ſyr. berberum Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni hora cochlear. duo.

Nro. 6.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
flor. altheæ M. jß.
glycyrrh. raſæ Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ½ hor.
colatur lib. ij. exhibe.
Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 7.

℞. Nitr. pur. gr. XL.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. Tiliæ Unc. vij.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlearia.

Nro. 8.

Nro. 8.

℞. Nitr. pur.
ſuccin. præparat. aâ gr. vij.
lapid. cancror. gr. xx.
m̄.
fiat pulv.
Sumat tales tres de die.

Nro. 9.

℞. Flor. chamom.
— alth.
hb. rut. aâ M. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 10.

℞. Hord. crud. Unc. iij.
aq. pur. lib. jv.
coq. per ½ hor.
colatur dein adde:
nitr. pur. dr. j.
oximel. ſimpl. aut
mel. pur. Unc. ij.
m̄. Pro potu.

Nro. 11.

℞. Rad. gramin. Unc. ij.
— acetoſæ Unc. β.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ½ hor.
colatur lib. ij. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior Unc. ij.
m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 12.

℞. Cremor. tartar.
arcan. dupl. aâ gr. xxx.
m̄. f. pulv.

Nro. 13.

℞. Prunor. exſiccator. Unc. ij.
hord. crud. Unc. jβ.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſ. Unc. jβ.
m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 14.

℞. Tamarindor. Unc. ij.
rad. altheæ Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ¼ hor.
colatur. lib. jß. adde:
nitr. pur. dr. jß.
mann. elect. Unc. jß.
ſyr. berber. Unc. j.

m̄.

Sumat omni hora vel bihorio vaſculum.

Nro. 15.

℞. Rad. alth. Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq p. ½ hor.
dein colatur lib. jß. adde:
mann. elect. Unc. ij.
ſal. polychreſt. dr. iij.

m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 16.

℞. Nitr. pur. dr. jß.
roob ſambuc. Unc. iij.

m̄.

Sumat quater de die cochlearia, & bibat deſuper vaſculum j. aut ij. infuſ. Nro. 75.

Nro. 17.

Nro. 17.

℞. Aq. rutæ Unc. viij.
acet. antiſept. Unc. jß.
ſyr. cort. citr. Unc. ij.

m̄.

Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 18.

℞. Sal. polychreſt. dr. ij.
Aq. laxativ. D. V. Unc. iijß.

m̄.

Sumat pro unico hauſtu.

Nro. 19.

℞. Fol. ſennæ Unc. ß.
mann. elect. Unc. jß.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. miſt. inf. in aq. ferv. lib. ß.
relinque vaſe clauſo per ½ hor.
dein colatur. exhibe.

Pro hauſtu.

Nro. 20.

℞. Syr. fumar. Unc. ijß.
aq. cochlear. Unc. ij.
— flor. ſambuc. Unc. vij.
liq. terr. fol. tartar. dr. jß.

m̄.

Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 21.

℞. Sapon. veneti
gumm. ammoniac. aâ dr. ij.
maſſ. pilul. ruffi gr. xL.
myrrh. electt. gr. xxx.
tinctur. ſuccin. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die tres.

Nro. 22.

℞. Sapon. venet.
gumm. ammoniac.
extr. cicut. aâ dr. j.
maſſ. pilul. ruffi dr. β.
elixir. proprietat. q. ſ.
m̄.
fiant pilul. gr. iij.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 23.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aâ Unc. jβ.
m̄.
Sumat omni bi- aut trihorio parvum cochlear.

Nro. 24.

Nro. 24.

℞. Cremor. tartar. dr. iij.
conſerv. naſturt. aquat.
——— cochlear. aá Unc. jß.

m̄.

Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 25.

℞. Gumm. ammoniac.
— galban. aâ dr. jß.
camphor.
caſtor. aâ gr. xv.
maſſ. pilul. ruffi dr. ß.
tinctur. ſuccin. q. ſ.

m̄.

m̄. f. pilul. gr. iij.

Sumat ter de die pilul. tres, & qualibet vice bibat vaſculum infuſi ex ſpecier. Nro. 76.

Nro. 26.

Nro. 26.

℞. Limat. mart. non rubig. Unc. ß.
cort. peruv. ſelectiſſ. dr. vj.
— cinnamom.
— winteran. aâ dr. iij.
rad. zedoar. dr. jß.
m̄. f. pulv.
cui affunde vini auſtriaci vel alterius ſubacidi generoſi lib. jß.
relinque per 24. horas in digeſtione agitando ſubinde,
dein colatur. exhibe.

Sumat omni trihorio cochlearia ij. ſenſim augendo doſim, ſi opus fuerit.

Nro. 27.

℞. Limatur. mart. non rubig.
pulv. cort. peruv. aâ Unc. ß.
—— myrrh. elect. dr. j.
conſerv. menth. Unc. ij.
ſyrup. menth. q. ſ.
m̄. f. electuarium.

Sumat omni trihorio magnitudinem nucis moſchatæ & bibat deſuper vaſculum infuſ. ex ſpec. Nro. 76.

Nro. 28.

Nro. 28.

℞. Limatur. mart. non rubig.
pulv. cort. peruv. aâ Unc. β.
theriac. diateſſar. Unc. ij.
ſyrup. menth. q. ſ.
m̄.
fiat electuarium.

Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 29.

℞. Aq. rutæ Unc. jv.
ſyr. menth. Unc. j.
tinctur. caſtor. gtt. xv.
laud. liquid. gtt. xv.
m̄.

Sumat omni quadrante hora j. aut ij. cochl.

Nro. 30.

℞. Syrup. diacodii Unc. j.
aq. flor. rhœad. Unc. jv.
laud. liquid. gtt. x.
m̄.

Nro. 31.

℞. Rhei elect.
ſal. polychreſt. aâ gr. xl.
m̄.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 32.

℞. Rad. bardanæ Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
dein colatur lib. ijß. adde:
ſyr. fumar. Unc. ijß.
liq. terr. foliat. tartar. dr. iij.
m̄.
Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 33.

℞. Eextract. cicutæ Unc. ß.
f. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die duas, ſenſim augendo doſim.

Nro. 34.

℞. Rad. V. aperient. aâ dr. iij.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. ferv.
per ½ hor.
dein colatur. lib. ij. adde:
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
ſyrup. fœnicul. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bi- vel trihorio vaſculum calide.

Nro. 35.

Nro. 35.

℞. Sapon. venet.
extr. cicut. aâ Unc. β.

m̄.

fiant pilul. gr. iij.

Sumat ter de die tres.

Nro. 36.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
pulv. rad. jalap. dr. jβ.
conſerv. fumar.
——— naſturt. aquat. aâ Unc. jβ.
ſyr. V. rad. aperient. q. ſ.

m̄. fiat conſerva.

Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 37.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. V. rad. aperient. Unc. ij.
aq. menth. Unc. viij.

m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 38.

℞. Rad. gramin. Unc. ijß.
— cichor. Unc. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
colatur lib. jß. adde:
ſal. polychreſt. dr. iij.
ſyrup. V. rad. aperient. Unc. ij.
m̄.
Sumat omni bi - aut trihorio vaſculum.

Nro. 39.

℞. Camphor. dr. j.
ſolve in
ol. hyoſciam q. ſ.
dein adde:
unguent. de alth. Unc. j.
m̄.
Detur uſui.

Nro. 40.

℞. Borac. venet. gr. xxx.
ſyrup. alth. Unc. jß.
aq. rutæ Unc. viij.
m̄.
Sumat omni bihorio duo cochlearia ſuperbibendo vaſcul. infuſ. ſpec. Nro. 2.

Nro. 41.

Nro. 41.

℞. Magneſ. alb. ſcrup. ij.
nitr. pur. gr. x.
borac. venet. gr. v.
m̄. f. pulv.

Nro. 42.

℞. Magneſ. alb. ſcrup. ij.
myrrh. electt. gr. v.
aloes lot. gr. ij.
m̄. ſiat pulvis.

Nro. 43.

℞. Lapid. cancror.
acet. vin. aâ Unc. ß.
ſyr. alth.
— diacod. aâ Unc. j.
aq. fœnicul. Unc. viij.
liq. terr. fol. tartar. dr. ij.
ſpir. nitr. dulc. gtt. xv.
m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear. & bibat ſubinde vaſcul. infuſ. ex ſpec. Nro. 77.

Nro. 44.

℞. Oximel. colchic.
ſyr. de ſpin. cervin. aâ Unc. ij.
m̄.

Sumat quater de die cochlear.

Nro. 45.

℞. Amygdal. dulc.
ſemin. melon. aâ Unc. j.
camphor. gr. vij.
fiat emulſio & colatur lib. jß.
adde:
ſyrup. papav. alb. Unc. jß.

m̄.

Sumat omni hora vaſculum.

Nro. 46.

℞. Bol. armen. dr. ij.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. vij.

m̄.

Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 47.

℞. Bol. armen. dr. ij.
pulv. terr. catech. dr. ß.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. vij.

m̄.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 48.

℞. Rad. conſolid. major. Unc. jv.
— altheæ Unc. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. d. uſui.

Nro. 49.

℞. Alumin. rup. gr. x.
ſolve in
aq. flor. rhœad. Unc. viij.
dein adde:
ſyr. diacod. Unc. jβ.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 50.

℞. Pulv. rad. tormentil. dr. j.
ſyr. diacod. Unc. jβ.
aq. flor. rhœad. Unc. viij.
m̄.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 51.

℞. Syr. diacod. Unc. j.
aq. menth. Unc. viij.
tinct. terr. catech. dr. jβ.
laud. liquid. gtt. xv.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 52.

℞. Sal. polychreſt. dr. j.
f. pulv. pro doſi.
Sumat æger talem omni trihorio.

Nro. 53.

℞. Cremor. tartar. dr. j.
f. pulvis.
Detur talis omni hora, donec ſufficienter purgetur.

Nro. 54.

℞. Rhei elect. ſcrup. ij.
lapid. cancror. ſcrup. j.
m̄.
fiat pulvis pro doſi.

Nro. 55.

℞. Limat. mart. ſubtiliſſ. n̄. rubig. dr. iij.
extr. cort. peruv. dr. ij.
gumm. ammoniac.
myrrh. elect. aâ dr. j.
terebinth. q. ſ.
m̄.
f. pilul. gr. iij.
Sumat tres omni trihorio, & bibat deſuper vaſculum infuſi meliſſ.

Nro. 56.

Nro. 56.

℞. Herbæ flammulæ Jovis
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. miſt. d. uſui.

Nro. 57.

℞. Pulv. fol. flammul. Jovis Unc. j.
Detur uſui.

Nro. 58.

℞. Extract. gratiolæ dr. j.
magneſ. alb. dr. vj.
ſemin. fœnicul. dr. j.
m̄.
fiat pulvis.

Sumat ter de die, quantum cultri cuſpide capi poteſt.

Nro. 59.

℞. Extracti cicutæ Unc. β.
—— aconiti dr. j.
m̄. exactiſſime
ut fiant pilul. gr. iij.

Sumat ter de die duas.

Nro. 60.

Nro. 60.

℞. Herbæ cicut.
glycyrrh. aâ Unc. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 61.

℞. Rhei elect. dr. β.
myrobal. citrin. gr. xv.
m̄.
f. pulvis pro doſi.

Nro. 62.

℞. Rad. ſalep. dr. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. ¼ hor.
colatur. lib. jβ. adde:
ſyr. diacod. Unc. jβ.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio vaſculum.

Nro. 63.

℞. Olibani
maſtich. aâ dr. j.
ſucci liquirit. inſpiſſ. Unc. β.
terebinth. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. jv.
Sumat omni trihorio duas, & bibat deſuper j. aut ij. vaſcul. infuſ. ex ſpec. Nro. 78.

Nro. 64.

Nro. 64.

℞. Olibani
maſtich. aâ dr. ij.
myrrh. elect. dr. j.
terebinth. q. ſ.
m̄. f. pilul. gr. iij.

Sumat ter de die quatuor, & bibat deſuper infuſi ſalviæ vaſculum.

Nro. 65.

℞. Herbæ ſalviæ M. jβ.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. fervid.
per ½ hor.
dein colatur lib. jβ. adde:
ſyrup. ſalviæ Unc. jβ.
m̄.

Sumat omni trihorio vaſculum.

Nro. 66.

℞. Cort. peruv. ſelectiſſ. Unc. jβ.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. hor.
colatur lib. β. adde
ſachari albi
aq. cinnamom. ſimpl. aâ Unc. jβ.
m̄.

Sumat omni hora aut bihorio vaſculum tepide.

Nro. 67.

℞. Pulv. cort. peruv. ſelectiſſ. Unc. j.
ſyrup. menth. q. ſ.
m̄. fiat electuar.

Nro. 68.

℞. Extract. cort. peruv. Unc. ß.
aq. flor. chamom. Unc. viij.
ſyr. flor. chamom. Unc. ij.
m̄.

Nro. 69.

℞. Nitr. pur.
ſtib. diaphor. n̄. abl. aâ dr. j.
oximel. ſimpl.
ſyr. flor. rhœad. aâ Unc. jß.
aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni bihorio cochlearia duo cum vaſculo infuſ. ſpecier. herb. Nro. 75.

Nro. 70.

℞. Herb. flammul. Jov. Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 71.

Nro. 71.

℞. Aq. font. lib. j.
acet. litharg. dr. jß.
m̄.

Nro. 72.

℞. Balſam. de Meccha gtt. vij.
vitel. ovor. Nro. j.
in mortario marmoreo bene tritis & ſubactis adde miſcendo
ſyrup. fœnicul. Unc. jß.
aq. ſalv. Unc. viij.
m̄.

Sumat omni trihorio duo cochlear.

Nro. 73.

℞. Sal. polychreſt.
magneſ. nitr. aâ Unc. ß.
m̄.

Sumat mane ac veſperi parvum cochlear.

Nro. 74.

℞. Fol. aurant. Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 75.

℞. Flor. ſambuc.
fol. malv. aâ M. ij.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 76.

℞. Herbæ rutæ
— meliſſ.
— ſerpill. aâ M. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 77.

℞. Rad. fœnicul. Unc. iij.
glycyrrh. Unc. jß.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 78.

℞. Herbæ agrimoniæ
— virgæ aureæ
flor. verbaſci aâ M. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

De

De Morbis gravidarum & parturientium.

Mulier poſt conceptum variis morboſis laborat affectibus, & communiter ſtatim menſtrua ſubſiſtunt: gravida moleſtias in ventriculo percipit, amittit appetitum, cibos antea expetitos nauſeat, ſæpius ad vomitum ſtimulatur, de accedentibus animi deliquiis, palpitationibus cordis, vertigine, aurium tinitu, odontalgia vel de aliis ſibi antehac incognitis moleſtiis querelas movet, ad varios nonnunquam cibos & non raro ad res quoque nauſeoſas ſingulari prorſus fertur appetitu.

Hæc ſymptomata apud nonnullas ex plethora proveniunt: ſi igitur hæc ex earum temperamento & pulſu pleno tenſoque præſens intelligatur, venæſectio neceſſaria eſt, quæ apud ſimiles mulieres ſæpius durante graviditate requiritur, ſcilicet: quamprimum continuans ſanguinis orgaſmus, pectoris oppreſſio, cephalalgia, vertigo &c. animadvertitur, nec talia ſymptomata remediis leniter refrigerantibus, ut Nro. 1. 2.

2. 3. 4. nec etiam lenibus cedunt clyſmatibus.

Nunquam autem pro recepto more inductaque conſuetudine absque diſcrimine in omni gravida venæſectio celebranda eſt; detrimento enim cedit, ubi nec plethora, nec alia gravior cauſa, quæ urgeat, adſit. Multæ feliciter pariunt, ſanasque progignunt proles absque eo, ut ſanguis illis graviditatis tempore mittatur.

Interim tamen plurimæ etiam habentur feminæ, quæ debiles alias conſpiciuntur & teneræ, menſtruorum tamen copia abundant, & temperamenti ſunt plethorici, apud tales gravidas æque magni detrimenti & forte partus præmaturi cauſa exiſteret ſub debilitatis prætextu neglecta venæſectio; in ſimilibus igitur caſibus omnes cauſas bene conſiderare & provida cum meditatione ſine præjudicio agere oportet.

Quandoque ſuperiora ſymptomata & ſubinde adhuc vehementiora apud feminas naſcuntur, quæ nullam quidem plethoram, ſed debile nimis & irritabile habent nervorum ſyſtema, atque ideo ſpaſmis torquentur.

His

His venæſectiones noxiæ ſunt, contra vero talia proſunt remedia, quæ ſpaſmos ſopiunt, & inordinatos tollunt perinde nervorum motus, talia Nro. 4. 5. 6. videre eſt, vel etiam aliquot guttulæ de Nro. 7. 8. in cochleari aquæ propinari poſſunt. Si vero leviora vel & graviora animi deliquia ex ſpaſmodica conſtitutione illis accederent, nec ſuperiora levamen adferrent medicamenta, remedium Nro. 9. exhibendum venit.

Nonnunquam gravidis alvus pertinaciter clauſa eſt, hæc non diu talis relinqui, ſed alvus aut leni enemate aut remediis Nro. 3. 10. 11. recenſitis debite aperta ſervari debet.

Draſtica purgantia gravidis nunquam exhibenda ſunt, talia nihilominus ut Nro. 12. 13. 14. dari poſſunt, ſi onerati ventriculi aut infarctorum inteſtinorum ſigna adſint.

Cum emeticis adhuc longe cautius & provide magis mercandum eſt; quare ab iis plane abſtinendum, niſi forte ſumma exhibendorum adeſſet neceſſitas, & in caſu, in quo ægra per continuum vomitum a ſor-

dibus in ventriculo hærentibus natum admodum torqueretur, debilitaretur, nec ullis ſolventibus & leniter purgantibus medicamentis hæ ſordes eliminari poſſent; tunc leni emetico, ut Nro. 15. ægram adjuvare melius eſt, quam immature differendo eandem periculo exponere.

Habentur etiam ſæpe morbi epidemici, qui ſemper mox in principio emeticum ſibi expoſtulant, ſi nunc gravidam talis morbus adoriretur, ſimile remedium neque hic intermittendum eſt.

Semper vero neceſſum eſt, ut aliquot horis poſt vomitum anodynum, ut Nro. 16. 17. porrigatur, ſicque ortæ per illum turbæ brevi componantur.

Sæpe vomitus a magnitudine & ſitu uteri vel a continuo & nimis valido fœtus motu producitur, ſi videlicet perinde ventriculus irritetur.

Hoc in caſu medicamenta parum proſunt, & vomitus hic utplurimum ad inſtantem uſque partum perſiſtit; multum tamen prodeſt, ſi alvus per emollientia clyſmata vel per lenia purgantia ore exhibita debite ſemper aperta ſervetur, impediaturque, ne

quid-

quidquam in primis accumuletur viis, quod malum in deterius vertere poſſet.

Sæpe vero bilis in ventriculo accumulata & corrupta vel alia rancida, amara, putrida ſubſtantia vomitum excitat, tum quotidie bis vel ter pulvis Nro. 3. vel 18. exhibetur.

Si autem a copioſo tenaci muco in ventriculo collecto cauſari vomitus obſervetur, remedium Nro. 19. porrigendum eſt.

Medicamenta vero *ſub Nro.* 11. 20. præprimis ſerviunt, ubi omne, quod ex ventriculo eructatur, aut vomitu rejicitur, acidum eſt.

Si tamen nulla harum cauſarum aut his ſimilis præſens adeſſe, & vomitus a nimia ſolum nervorum irritabilitate pendere animadverteretur, remedia ut Nro. 9. 16. 17. danda forent.

Aliquæ juvantur, ubi enema ex partibus æqualibus ſaturati florum chamomillæ infuſi & olei injici ſibi curant, præterea nonnihil goſſypii remedio Nro. 8. madefacti umbilico applicent.

Valida & continua diarrhæa præſertim vero dyſenteria gravidis ſæpe multum nociva deprehenditur.

Quare nunquam admittendum eſt, ut hæc ſymptomata invaleſcant, ſed illico remediis leniter purgantibus pro exigente neceſſitate acrimoniam vel ſordes ex corpore eliminare, conſequenter cauſam aufferre, & deinde remediis efficacibus ut ſupra in diarrhæa & dyſenteria ſubito malum ſiſtere oportet.

Si graviditas optime & regulariter decurrat, durante ejus tempore nullus adeſſe deberet ſanguinis fluxus; ſunt nihilominus feminæ, quæ in diverſis graviditatibus per plures menſes regularem ſuum experiuntur fluxum menſtruum, hoc nihil peculiare portendit, ſi cæteroquin ſanæ ſint, nec viribus deſtituantur; obſervandum ſolummodo eſt, an non inſuper adſit ſanguinis abundantia, tunc enim vena in brachio neceſſario aperienda foret; ſi vero quasdam ſanguinis animadverterentur efferveſcentiæ, leniter refrigerantibus pacari poſſunt.

In mulieribus plethoricis nonnunquam accidit, ut primis præſertim graviditatis men-

menſibus ſine cauſa manifeſta ſubitus & copioſus appareat ſanguinis fluxus, qui ſemper periculo ſtipatus habetur.

Quamprimum itaque talis hæmorrhagia ſeſe manifeſtat, neceſſitas expoſcit, ut ſimilibus feminis omnis poſſibilis concilietur quies, vena in brachio ſecetur, & medicamenta refrigerantia, ut Nro. 2. 21. 22. 23. exhibeantur; ſi vero poſt hæc pulſus adhuc plenus tenſus & febrilis perſiſteret, venæſectio repetenda venit. Hac methodo pravis ſequelis in principio ſtatim obex ponitur.

Hic autem eventus majori longe periculo ſtipatur, ſi poſt validum quemdam animi motum ut iram, terrorem, gaudium, vel poſt valida corporis exercitia vel poſt vim externe impingendo, verberando, cadendo illatam exoritur; hic enim accidit utplurimum, ut vaſa lacerentur, & placenta pro parte ſolvatur; perinde immaturus aut ſi ultimis menſibus præmaturus partus ſequitur.

In his quoque caſibus ſtatim ab initio ſumma quies imperanda eſt, & nullis præſentibus veris partus doloribus & orificio

uteri clauſo permanente illico ſecundum ægræ vires ſanguinem mittere oportet, ſique alvus per aliquod tempus clauſa fuiſſet, & lene clyſma injiciatur; internæ ab initio leniter refrigerantia & anodyna medicamenta, ut Nro. 22. 23. 24. exhibeantur, præterea urgente malo frigida fomenta ex portione anatica aquæ & aceti inſtructa continuo regioni epigaſtricæ apponantur.

Remediis tali cum prudentia adhibitis ſæpe adeo felices ſumus, ut hæmorrhagia ſiſtatur, & fœtus ad perfectam uſque maturitatem in utero incluſus maneat.

Si vero non ea remitteret, nec dolores adeſſent veri, medicamenta ut Nro. 25. 26. 27. 28. porrigenda ſunt; quamprimum autem hæc ſuum præſtitere effectum, ad ſupra dicta recurrendum eſt.

Attamen ſi gravida ſtatim in principio hujusmodi hæmorrhagiæ vel aliquo tempore poſt, tractionem in lumbis & oſſe ſacro aut contrahentes, urgentes & prementes perſentiſcat dolores, qui a lumbis ad pudenda uſque pertingunt, atque ſi hæc ſymptomata ſuperiori medendi methodo brevi tem-

tempore non cedant, vel ſaltem notabiliter remittant, femina plerumque patitur abortum, præſertim ſi uteri orificium ſucceſſive apertum dilatetur, partusque dolores urgeant conſtantius.

In hujusmodi caſu admodum imprudens actio foret medicamentis fortioribus ſtipticis, adſtringentibus vel immoderata ſanguinis miſſione hæmorrhagiam ſiſtere fœtumque conſervare velle.

Potius tum per decocta emollientia, ut Nro. 29. 30. & frequentiora enemata contendendum eſt, ut partus reddatur facilior aut aptæ obſtetricis vel experti obſtetricantis dexteritate accelleretur.

In genere de omnibus his hæmorrhagiis notandum: eas, quo validiores ſunt, quo celerius prægreſſas ſubſequuntur cauſas, & quo hæ ipſæ cauſæ potentiores fuerint, eo etiam majus & matri & fœtui periculum minitari.

In debilibus, valde irritabilibus aut ſpaſmis laborantibus feminis ſubito ſæpe poſt minimum animi motum vel etiam odorem ingratum naribus hauſtum uteri naſcitur hæmorrhagia.

Hic mox remedia anodyna, ut Nro. 9. 17. 31. exhibenda ſunt; ſæpe perinde ſpaſmi ceſſant, verum hæmorrhagia æque ac antea valida continuat, & tum remedia ſtiptica, ut Nro. 25. 26. 27. 28. 32. requiruntur.

Ceſſante autem hæmorrhagia debilibus hiſce feminis remediorum, ut Nro. 33. 34. diuturnus uſus admodum conducit.

Debiles, hiſtericæ illæque mulieres, quæ nimis laxo & irritabili utero præditæ ſunt, ſæpe ad finem quarti, vel quinto, ſexto, ſeptimo, etiam octavo menſe ſine prægreſſa cauſa manifeſta patiuntur abortum.

Periculoſum hoc malum præcavetur, ſi ſtatim a ſecundo vel tertio menſe remediis roborantibus, ut Nro. 35. 36. 37. doſi conveniente uti incipiant, & in iis ad graviditatis uſque finem procedant; multis ſemel vel bis in die pulverem Nro. 38. 39. aut bis ter de die cochlearia duo de Nro. 34. aſſumere ſufficit.

Nonnullæ malum hoc evitant, fœtumque retinent aſſumptis tempore graviditatis

mane

mane ac veſperi duobus vaſculis infuſi Nro. 40.

Subinde etiam contingit, ut gravidæ per plures dies etiam per ſeptimanas fœtum mortuum utero gerant; certam fere hujus dari licebit prognoſim, ubi longo tempore motum infantis non perceperint, qui præcipue antea vehemens valde erat & continuus, atque tum vel ſubito vel ſenſim ceſſavit; ubi præterea hæ mulieres pondus grave inſolitum in epigaſtrio ſentiunt, quod in omnem devolvitur partem, prout corpus ab uno ad alterum latus movetur.

Feminæ tales etiam debiles admodum ſunt, male proſpiciunt, de frequentiori horrore querelas movent; mammæ flacceſcunt, concidunt, ſæpeque exinde materies copioſa lymphatica tenuis exſtillat.

Si his in circumſtantiis hæmorrhagia exoriatur, & partus ſeſe inſinuent dolores, ſuperiore methodo per convenientia auxilia mulier onere ſuo liberanda eſt.

Adſtringentia & anodyna remedia hoc in caſu non ſolum inutilia ſed & nociva forent.

Partus

Partus immaturi vel etiam præmaturi feminas utplurimum debilitant magis, ut tardius longe priores recuperent vires, ac alias poſt partum plene maturum fieri ſolet.

In partu naturali maturo plerumque circa finem menſis noni uterus in pelvim delabitur profundius, reſpiratio perinde liberior evadit, hypochondria, regio hypogaſtrica molleſcunt, minus tenduntur, ſed abdomen tumidum magis redditur & plenum, materies mucoſa ex pudendis promanare inchoat, & non raro obſervare eſt feminas tunc temporis ſæpius de urinæ teneſmo conqueri aut urinam ipſis penitus ſupprimi.

Si poſtremum accidat, nunquam diu ſine auxilio relinquendæ ſunt, alias enim laxitas, paralyſis vel, quod peſſimum eſt, veſicæ urinariæ ruptura ſequi poteſt.

In hoc caſu clyſma emolliens injiciatur; quodſi levamen non adferat debitum, in lectum decumbat gravida ſic, ut abdomen altiorem, caput vero & pectus ſitum habeat profundiorem, hac ratione uterus plerumque recedit, & urina libere excernitur,

quodſi

quodſi vero uterus exinde recedere retardaret, neceſſum eſt, ut ab obſtetrice vel obſtetricante leni cautaque manu reducatur: & ſi tum nullum adhuc ſequeretur profluvium, catheterem applicare oporteret.

Remedia diuretica quælibet hoc in caſu ſumme nocent.

Ubi jam tempus partus appropinquat, gravidæ duobus, tribus & pluribus ſæpe diebus antea frequentiores in lumbis, oſſe ſacro experiuntur dolores & preſſionem in abdomine, verum hæc ſymptomata brevi iterum evaneſcunt.

Attamen ſi revera partus inſtet, dolores lumborum & præſertim oſſis ſacri redduntur vehementiores, & per inquina ad regionem pubis propagantur. In principio lente admodum accedunt, iterumque ſæpe per unam, duas etiam horas ſilent, urgent tandem magis, in femoribus, genibus validum tremorem excitant, diutius inſiſtunt, ſique remittant, nihilominus iterum brevi revertuntur, orificium uteri ſenſim aperitur, veſica ex ovi membranis formata per aquas plus tenditur, & caput infantis magis magisque anteriora verſus urgetur, copioſus ſan-

ſanguine mixtus mucus ex vagina promanat, membranæ tandem rumpuntur, effluunt liquores, quos brevi ipſe fœtus ſequitur. Ad hæc paulo poſt etiam ſecundinæ copioſo cum ſanguine expelluntur, atque tum demum partus feliciter & perfecte abſolutus habetur.

Apud nonnullas parturientes hæc omnia facile & celeriter, apud alias vero tarde ſæpe & difficulter ſuccedunt; verum ſi de bono infantis ſitu certi ſimus, ſi nihil peculiare ſe manifeſtet, etiam in hoc caſu parturiens nec mature nimis nec vehementer ad partus labores adigenda, nec præproperis manipulationibus opus aggrediendum, multo minus vero calida & ſtimulantia exhibenda ſunt medicamenta.

Quo partus bene conſtitutus plus naturæ relinquitur, quo cautius & tardius manus ipſi admovetur, eo ſuccedit felicius, meliusque ſuas parturiens vires conſervat.

Multæ mulieres a præproperis & nimium officioſis obſtetricibus ſæpe in primo partu adeo male tractantur, ut ſemper deinceps morboſæ, atque ulteriori progenerationi ineptæ ſint. Natura enim vias

para-

parare debet, & omnia, quæ per vim absque neceſſitate præſtantur, mala ſunt.

Eadem ratione etiam ſumme noxium eſt, ſi externa preſſione valida duris præcipue corporibus facta, uti pluribus conſuetum eſt, abdomen deorſum prematur, & perinde partus accelleratio tentetur.

Incauta tali preſſione inteſtina, omentum vel ipſe plurimum afficitur uterus, unde ſæpe harum partium inflammationes aut putredo & exinde non raro peſſimi morbi acuti malignaque puerperii exanthemata oriuntur.

Quare cum puerpera amice agere, animum ipſi addere, eam excitare & tunc ſolum, ut ſerio adlaboret, & ut cooperetur, exhortari oportet, ſi dolores diuturni ſint & continui, orificium uteri dilatatum ſatis, membranæ ovi aquis repletæ & bene tenſæ deprehendantur, partusque terminus propinquus jam adſit.

Nonnunquam vero etiam partus naturalis, in quo omnia ſe requiſito in ordine habent, diu admodum protrahitur, parturiens per dolorum vehementiam & diurnitatem enervatur: his in caſibus remedium

leni-

leniter promovens, ut Nro. 41. vel refocillantia, confortantia medicamenta *ſub Nro.* 42. 43. cum aliqua tincturæ ſuccini quantitate exhibere licet: verum hujusmodi caſus rarius, quam exiſtimetur, eveniunt.

In quavis parturiente ſtatim ab initio ſolicite inquirendum eſt, an plethorica ſit & pulſum tenſum habeat; hoc in caſu ſine mora venæſectio in pede inſtituenda eſt.

Ultra indagare oportet, an urina bene & libere fluat, quæ ſi jam diu ſuppreſſa fuiſſet, ſuperiori methodo caute provocanda foret.

Si parturienti jam aliquo tempore alvus obſtructa eſſet nec ſufficienter evacuata emollientibus clyſmatibus ſolicitanda venit.

Si enim ab omni hac parte non debita adhiberetur circumſpectio, difficilis valde & infelix partus ſequi poſſet.

In partu ſæpe veri, ſæpe ſpurii naſcuntur dolores, nonnunquam ambo ſimul adſunt, & poſteriores priorum efficaciam imminuunt.

Veri

Veri dolores a lumbis & oſſe ſacro orti ad pudenda uſque extenduntur, urgent, ſenſimque uteri orificium aperiunt.

Dolores autem ſpurii in abdomine & circa regionem umbilicalem ſuum habent territorium, tormina cauſant & inflationes, & parturientibus moleſtiores, quam ipſi veri exiſtunt.

Quare eos ſtatim abigere tentemus; huc plurimum facit, ſi hujusmodi mulieribus calidi & fumo macis imbuti panni ſæpius ad abdomen apponantur, quandoque vaſculum infuſi Nro. 6. vel aliquot guttulæ de Nro. 8. in cochleari aquæ adminiſtrentur, ſique his nondum cederent dolores ſpurii, unum vel duo cochlearia de remedio Nro. 16. vel 17. porrigantur.

Nonnunquam parturientibus leniora animi deliquia accedunt, hæc autem brevi tolluntur, ſi oſſa temporum aceto rutaceo perfricentur, idem ſæpius olfacere parturientes jubeantur, vel eundem in finem remedia *ſub Nro.* 7. 8. 44. in uſum trahantur.

Durante partu non raro profuſiſſimæ contingunt hæmorrhagiæ, quibus, ſi a pletho-

thora ortum ducere obſerventur, venæſectionis auxilio ſubvenire poſſumus; ſi autem pulſus debilis ſit & inconſtans, ſi parturiens debilis, pallida evadat, frigeant extremitates, tum aliud nil ſupereſt, quam fœtum etiam bene locatum vertere & educere.

Eodem modo hæmorrhagiæ ſæpe internæ naſcuntur, tunc temporis nullus de pudendis ſanguis profluit, quia ingreſſus jam fœtus ſanguini utplurimum exitum præcludit; caſus hic periculoſus cognoſcitur, dum venter ſubito intumeſcit, expalleſcit parturiens, vehementia accedunt animi deliquia, pulſus parvus, inæqualis, vaccillans exploratur, manus pedesque frigus & univerſum corpus gelidus ſudor occupat; caſus hic periculo pleniſſimus eſt, & ſi fœtus per artem illicò educi non poſſit, ut uterus ſeſe contrahendi ſpatium acquirat, accidit non raro, ut tam parturiens quam fœtus morti ſuccumbere cogantur.

Verum adhuc longe majus periculum habetur, ſi ſub ipſo partu uterus laceretur, quo in caſu etiam quam celerrima fœtus eductio tentanda eſt.

FORMU-

Formulæ.

Nro. 1.

℞. Lapid. cancror. gr. xx.
nitr. pur. gr. x.
m̄. f. pulv. pro doſi.

Nro. 2.

℞. Nitr. pur. dr. j.
ſyr. ribeſior Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. vj.
m̄.
Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 3.

℞. Cremor. tartar.
arcan. dupl. aâ gr. xxx.
m̄. f. pulv.

Nro. 4.

℞. Nitr. pur.
ſuccin. præparat. aâ gr. vij.
lapid. cancror. gr. xx.
m̄.
fiat pulv.
Sumat tales tres de die.

Nro. 5.

℞. Caſtor. gr. xij.
lapid. cancror.
magneſ. nitr. aâ Unc. ß.
m̄. ſiat pulvis.

Sumat bis vel ter de die cochlear parvum, & bibat deſuper vaſculum infuſi flor. chamomil

Nro. 6.

℞. Flor. chamomil. M. ij.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 7.

℞. Spir. C. C. dr. ij.
Detur uſui.

Nro. 8.

℞. Tinctur. caſtor. dr. ij.
Detur uſui.

Nro. 9.

℞. Aq. rutæ Unc. jv.
ſyr. menth. Unc. j.
tinctur. caſtor. gtt. x.
laud. liquid. gtt. xv.
m̄.

Sumat omni quadrante hora j. aut ij. cochl.

Nro. 10.

Nro. 10.

℞. Sal. polychreſt.
magneſ. nitr. aã Unc. ß.
m̄. f. pulvis.

Sumat mane ac veſperi parvum cochlear.

Nro. 11.

℞. Sal. polychreſt.
magneſ. nitr.
lapid. cancror. aã dr. ij.
ſyrup. menth. Unc. ij.
aq. menth. Unc. viij.
m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlear.

Nro. 12.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
Aq. laxativ. D. V. Unc. iijß.
m̄.

Sumat pro unico hauſtu.

Nro. 13.

℞. Fol. ſennæ Unc. ß.
mann. elect. Unc. jß.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. miſt. inf. in aq. ferv. lib. ß.
relinque vaſe clauſo per ½ hor.
dein colatur. exhibe.
Pro hauſtu.

Nro. 14.

℞. Rhei elect.
ſal. polychreſt. aâ gr. xL.
m̄.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 15.

℞. Ipecacuanch. gr. xxx.
ſal. polychreſt. gr. x.
m̄.
f. pulv. pro doſi.

Nro. 16.

℞. Laudan. pur. gr. j.
ſolve in
aq. flor. Tiliæ Unc. jv.
dein adde:
aq. flor. rhœad. Unc. j.
m̄.
Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 17.

℞. Syrup. diacodii Unc. j.
aq. flor. rhœad. Unc. jv.
laud. liquid. gtt. x.
m̄.

Nro. 18.

℞. Cremor. tartar. dr. j.
fiat pulvis.
Detur talis omni hora, donec ſufficienter purgetur.

Nro. 19.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
ſyr. V. rad. aperient. Unc. ij.
aq. menth. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Nro. 20.

℞. Lapid. cancror. Unc. ß.
fiat pulvis.
Sumat bis de die parvum cochlear.

Nro. 21.

℞. Nitr. pur. dr. j.
roob ſambuc. Unc. ij.
ſyr. berberum Unc. j.
aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
m̄.
Sumat omni hora cochlear. duo.

Nro. 22.

℞. Amygdal. dulc. Unc. jβ.
fiat emulſio & colatur lib. j.
adde:
ſyrup. papav. alb. Unc. j.
m̃.
Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 23.

℞. Nitr. pur. gr. xl.
ſyr. diacod. Unc. jβ.
aq. flor. Tiliæ Unc. vij.
m̃.
Sumat omni hora duo cochlearia.

Nro. 24.

℞. Aq. flor. rhœad. Unc. viij.
ſyr. diacod. Unc. jβ.
ſpir. vitriol. gtt. xv.
m̃.
Uſus, ut prioris.

Nro. 25.

℞. Bol. armen. dr. ij.
pulv. terr. catech. dr. β.
ſyr. diacod. Unc. jβ.
aq. flor. rhœad. Unc. vij.
m̃.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 26.

Nro. 26.

℞. Alumin. rup. gr. x.
ſolve in
aq. flor. rhœad. Unc. viij.
dein adde:
ſyr. diacod. Unc. jß.

m̄.

Uſus, ut prioris.

Nro. 27.

℞. Pulv. rad. tormentil. dr. j.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. viij.

m̄.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 28.

℞. Syr. diacod. Unc. j.
aq. menth. Unc. viij.
tinct. terr. catech. dr. jß.
laud. liquid. gtt. xv.

m̄.

Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 29.

℞. Rad. altheæ Unc. j.
fol. altheæ M. j.
conſciſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
dein adde:
flor. altheæ M. jß.
glycyrrh. raſæ Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
colatur lib. ij. exhibe.

Sumat omni bihorio vaſculum tepide.

Nro. 30.

℞. Rad. altheæ Unc. iij.
fol. altheæ M. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 31.

℞. Aq. rutæ Unc. viij.
ſyr. menth. Unc. jß.
ſpir. ſal. ammon. anis. gtt. xx.
laud. liquid. gtt. xv.
m̄.

Sumat omni ½ hora unum vel duo cochlear.

Nro. 32.

Nro. 32.

℞. Bol. armen. dr. ij.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. vij.

m̄.

Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 33.

℞. Cort. peruv. ſeleƈtiſſ. Unc. jß.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. p. hor.
colatur lib. ß. adde
ſachari albi
aq. cinnamom. ſimpl. aâ Unc. jß.

m̄.

Sumat omni hora aut bihorio vaſculum tepide.

Nro. 34.

℞. Extraƈt. cort. peruv. Unc. ß.
aq. flor. chamom. Unc. viij.
ſyr. flor. chamom. Unc. ij.

m̄.

Nro. 35.

℞. Limat. mart. non rubig. Unc. β.
cort. peruv. ſelectiſſ. dr. vj.
— cinnamom.
— winteran. aâ dr. iij.
rad. zedoar. dr. jβ.
m. f. pulv.
cui affunde vini auſtriaci vel alterius ſubacidi generoſi lib. jβ.
relinque per 24. horas in digeſtione agitando ſubinde,
dein colatur. exhibe.

Sumat omni trihorio cochlearia ij. ſenſim augendo doſim, ſi opus fuerit.

Nro. 36.

℞. Limatur. mart. non rubig.
pulv. cort. peruv. ſelectiſſ. aâ Unc. β.
—— myrrh. elect. dr. j.
conſerv. menth. Unc. ij.
ſyrup. menth. q. ſ.
m. f. electuarium.

Sumat omni trihorio magnitudinem nucis moſchatæ & bibat deſuper vaſculum infuſ. ex ſpec. Nro. 45.

Nro. 37.

℞. Limatur. mart. non rubig.
pulv. cort. peruv. aâ Unc. β.
theriac. diateſſar. Unc. ij.
ſyrup. menth. q. ſ.

m̄.

fiat electuarium.

Sumat omni trihorio parvum cochlear.

Nro. 38.

℞. Pulv. cort. peruv. ſelectiſſ. ſcr. ij.
Dentur tales Nro. xij.

Nro. 39.

℞. Pulv. cort. peruv. ſelectiſſ. dr. j.
Dentur tales Nro. viij.

Nro. 40.

℞. Fol. aurant. Unc. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 41.

℞. Borac. venet. gr. xxx.
ſyrup. alth. Unc. jβ.
aq. rutæ Unc. viij.

m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlearia ſuperbibendo vaſcul. infuſ. ſpec. Nro. 30.

Nro. 42.

℞. Aq. menth. Unc. vij.
ſyr. menth. Unc. jß.
ſpir. menth. dr. ij.

m̄.

Sumat omni bi- aut trihorio duo cochlear.

Nro. 43.

℞. Aq. flor. ſambuc. Unc. viij.
ſyr. de alth. Unc. ij.
ſpir. vitriol. dr. ij.

m̄.

Sumat omni hora unum aut duo cochlear.

Nro. 44.

℞. Aq. meliſſ. compoſ. P. P. Unc. ij.
Detur uſui.

Nro. 45.

℞. Herbæ rutæ
— meliſſ.
— ſerpill. aâ M. j.
conſciſſ. d. uſui.

De

De Morbis & cura puerperarùm.

Mulier abſoluto partu puerpera appellatur.

Obſervatùm fuit circiter ſex ſeptimanarum tempus imbecilibus præſèrtim & morboſis, illis etiam, quæ partum difficilem paſſæ ſunt, ad integras iterum vires recuperandas opus eſſe, quare etiam ſimilibus tempus ſex ſeptimanarum pro quiete poſt laborem viriumque reſtauratione ordinatum eſt.

Robuſtæ, laborioſæ mulieres & illæ, quæ facile peperere, bona alias ſanitate gaudentes citius vires recuperant.

Puerperium quandoque admodum feliciter tranſigitur, nonnunquam tamen in hoc varii graves, periculoſi obveniunt morbi, qui plerumque partus male abſoluti vel vitiorum ab ipſa puerpera commiſſorum ſequelæ ſunt, quandoque autem ex negligenti cura & medendi methodo mala originem trahunt.

Sanguis poſt partum de pudendis effluere continuans lochiorum nomine venit; ſi cuncta bene & regulariter procedant, puer-

pera

pera leves tantum aut nullos dolores ſentit, pulſus liber eſt & plane naturalis, hoc aliquot diebus perſiſtit; utplurimum tamen fluxus lochiorum ſanguineus tertio aut quarto die imminuitur, & albicans potius & mucoſa materies ſub conſpectum venit, eodem tempore mammæ intumeſcunt, cauſantque dolores illis præſertim mulieribus, quæ prolibus ſuis propria mox ubera ſugenda denegant, frequentiores his horripilationes accedunt, pulſus febrilis evadit, quinto autem vel ad ſummum ſexto die lac de mammis effluit, intumeſcentia earum, tenſio & dolor remittit, & *febris lactea* dicta penitus diſparet.

Adhæc nonnullis adhuc diebus nonnihil ſanguinis cum materie mucoſa de pudendis effluit, hæc vero evaneſcit iterum, ſanguinis autem fluxus perſeverat, & apud quasdam poſt tres quatuorve ſeptimanas ceſſat, apud nonnullas vero uſque ad finem ſextæ ſeptimanæ, & nonnunquam diutius adhuc perſiſtit.

Si omnia hæc regulariter decurrant, nullis puerpera particularibus indiget medicamentis.

Opor-

Oportet nihilominus, ut, donec febris lactea ſuum aſſecuta ſit terminum, quieta maneat puerpera, & ſi per domeſtica negotia liceat, lecto addicta atque mane & veſperi cochlear parvum remedii Nro. 1. aſſumat, ſuperbibendo ſemper unum aut duo vaſcula de Nro. 2.; & ſi alvus ſufficienter non foret aperta, quotidie aut ſaltem omni altero die clyſma emolliens injiciendum eſt.

Debiles, paſſionibus hiſtericis obnoxiæ mulieres, & quæ difficilem ſuſtinuere partum, admodum incaute agunt, ſi ante diem nonum lectum relinquant, quia perinde debilitatem ſibi conciliant, varia ſymptomata ſpaſmodica contrahunt, & hac ratione virium reſtaurationem in longius differunt.

Primis diebus puerperæ pauca & leviſſima porriguntur alimenta, quæ in juſculis, panatellis, cremore oryzæ vel hordei, fructibus horræis coctis, ſi hiſce alias aſueta ſit, & ea ferre poſſit, conſiſtunt, in quibus tamdiu pergitur, donec febris lactea integrum ſuum curſum abſolverit, ubi tandem omnia ſe bene habent, pauxillum teneræ & facilis digeſtionis carnis indulgeri poteſt, poſt

poſt diem nonum vero magis nutrientibus ſemper tamen levibus veſci poterit alimentis. Si elapſis diebus quatuordecim bona utatur puerpera valetudine, viribus bonis bonoque gaudeat appetitu, ad conſuetos ſenſim cibos redire licebit illi præſertim, quæ propter rem domeſticam anguſtam labores iterum aggredi debet; illa vero, cui ſtatus familiæ non vetat proprio magis ſtudere commodo, prudentius ſemper agit, ubi aliquo adhuc tempore ſtrictiorem vivendi normam obſervaverit.

Statim poſt partum puerperæ communiter laſſæ ſunt, ſomnusque ipſas adoritur; crudele foret eas per continuam garrulitatem aliove modo ab eo arcere: natura enim poſt laborem quiete opus habet, hac enim ratione vires brevi recuperantur. Permittendum proinde, ut ſomno indulgeant, unde omnis ſtrepitus ſollicite evitandus eſt; neceſſe tamen erit, ut obſtetrix durante hoc tempore lecto aſſideat, & ad amuſſim obſervet, an dormienti nulla animi deliquia obveniant aut tendinum ſubſultus.

Si

Si quid ſimile animadverteretur, leni methodo excitari & idoneis remediis malum tolli poteſt.

Sæpe enim valida animi deliquia & leipothymiæ obveniunt, quando per ſanguinem copioſum durante partu ammiſſum magna parturienti debilitas inducitur. Non raro copioſa hæc & debilitans hæmorrhagia adhuc poſt partum continuat; ejusmodi feminas quietas manere oportet, faſciis illarum abdomen cingitur, debile juſculum tepidum aut tenuis cremor hordei ſæpius propinatur; ad hæc data hæmorrhagia non ceſſante lenia adſtringentia, ut Nro. 3. 4. 5. porriguntur; atque ſi iſthæc periculoſis his circumſtantiis ad moderamen reducendis non forent efficacia ſatis, ad medicamenta etiam fortiora, ut Nro. 6. 7. 8. devenire neceſſum eſt, nec non fomentis ex æquali aquæ & aceti quantitate factis abdomen contegere opus erit, utprimum autem fluxus ad moderamen rediit, remedia adſtringentia præcipue poſtrema ſeponuntur.

Bene tamen notari meretur hanc medendi methodum tum ſolum valere, cum floridus, purus fluidusque ex pudendis ſan-

guis profluit, omnique corpore peregrino uterus liber habetur, conſequenter hæmorrhagia tantum a vaſorum laxitate dependet; illis enim in caſibus inutilis foret & noxia, ubi totæ adhuc ſecundinæ aut magna earum pars aut multus induratus grumoſus in cavo uteri ſanguis continerctur, qui contractionem ejus impediens hujus hæmorrhagiæ cauſa exiſteret.

His cunctis in caſibus obſtetrix vel obſtetricans apta manu ſecundinas vel ſanguinem congrumatum educat, tandem brevi quiete & remediis leniter anodynis, ut Nro. 9. 10. propinatis immodicum ſanguinis profluvium ſucceſſive remittet.

In illis mulieribus, quæ magnas admodum proles geſtant, & quarum uterus magnam præterea aquarum copiam continet, ſæpius accidit, ut latera & fibræ uteri adeo extendantur & debilitentur, ut vim ſeſe contrahendi pro aliquo tempore penitus amittant, idem hoc etiam poſt partum difficilem, diuturnum frequenter contingit, unde uterus poſt partum hanc ſuam magnitudinem extenſionemque vacui ſacci ad inſtar conſervat, & nihil omnino contrahitur,

tur, unde certa valida hæmorrhagia exoritur.

Utero poſt partum debite contracto brevi poſt, durum globum aut duram rotundam ſupra oſſa pubis protuberantiam tangendo deprehendimus; ſi tunc talis non advertatur globus, ſi cauſæ præceſſere ſuperiores & ſi ab obſtetrice vel obſtetricante certi reddamur nihil amplius in utero haberi reliqui, hæmorrhagiam ex ſola hac cauſa ortum ducere, tuto concludere licet.

Hoc in caſu abdomen infimum manibus aut pannis calefactis leniter fricandum eſt, obſtetrix orificium uteri digitis leniter irritet, perinde vis uteri contrahens ſuſcitatur, & fibræ muſculares cientur in actum; uterus tandem contrahitur & immoderatum ſanguinis profluvium ſenſim ceſſat.

Sæpiſſime partu feliciter abſoluto puerperæ vehementem, ſpaſmodicam & dolentem in utero contractionem, ventris tormina, preſſionem in infimo abdomine conqueruntur, dolores hi quandoque remittunt, quandoque per paroxyſmos revertuntur, nonnunquam lenes ſunt, nec diu du-

rant, non raro autem intolerabiles magis, quam ipſi partus dolores evadunt.

Dolores hi appellantur, *dolores poſthumi.*

Plerumque in feminis imbecillibus, iisque exoriuntur, quæ irritabiles magis nervos poſſident, vel quæ partum ſuſtinuere laborioſum.

Ubi dolores hi poſthumi leves tantum ſunt, facile tolluntur, dum panni fumo macis vel ſuccini imbuti abdomini ſæpius applicantur, & puerperis quandoque vaſculum infuſi Nro. 11. exhibetur.

Si autem validi ſint, & continui, medicamenta pacantia ut Nro. 9. 12. ordinanda ſunt.

Quodſi vero dolores poſthumi a relictis ſecundinis aut mola naſcerentur, cuncta hæc remedia ſine fructu forent, & tales dolores non evaneſcunt, antequam hæc omnia vel naturæ vel artis auxilio educantur.

Sub ipſis doloribus poſthumis pulſus plerumque celer, contractus exploratur & inæqualis, quamprimum vero iterum remittunt, plane liber, æqualis, naturalis deprehenditur.

Si

Si febris lactea debito tempore adveniat, & lenis admodum ſit, neceſſe quoque non eſt peculiaria quædam medicamenta in uſum trahere, pulvis ſolum ſupramemoratus & decocta emollientia continuentur, puerpera omnem refrigerationem evitet, ſique alvum non excernat ſufficientem, quotidie, quamdiu febris & mammarum ſuper-eſt tenſio, clyſma emolliens eidem ſubminiſtretur.

Quodſi vero febris hæc valida ſit, ter, quater de die pulvis Nro. 13. dandus eſt, aut adhibeantur remedia, qualia Nro. 14. 15. videre eſt, prætereaque plurimum ſemper decoctorum emollientium, ut Nro. 2. 16. potare jubeatur.

Raro contingit, ut febris hujus vehementia venæſectionem ſibi expoſtulet, nonnunquam tamen ad eam devenire oportet, ſi ægra valde plethorica pulſum durum & plenum exhibeat, aut mammæ ruberrimæ, duræ, admodum dolentes ſint & vehementer inflammatæ.

Hoc in caſu ad eandem recurrendum eſt curationis methodum, quæ in genere pro inflammatione præſcripta eſt, & ſi in-

flammatio admodum vehemens ſit, mox ab initio cataplaſmata emollientia applicanda ſunt, quibus, ubi tenſio mammarum & inflammatio notabiliter remittit, herbæ diſcutientes admiſceantur.

Inflammationes ejusmodi non raro in ſuppurationem abeunt, quo in caſu abſceſſus non ſponte disruptus lanceola aperiendus eſt.

Sæpe febris & inflammatio integre diſparent, ſed mammæ duriſſimæ manent, & tenſæ, hoc in caſu præter decocta emollientia remedium Nro. 17. exhibetur, quibus intra paucos ſæpe dies indurationes funduntur, diſcutiunturque.

Si vero tales indurationes nimis pertinaces forent, diuque perſtarent, emplaſtrum de cicuta illis apponitur, ſimiliaque inſuper ſolventia, ut Nro. 18. 19. 20. 21. adhibentur medicamenta. Perinde utplurimum pertinaciſſimæ indurationes & maligna cancroſa ulcera feliciter curantur, verum uſus talium medicamentorum diuturno tempore protrahatur, donec ne minima amplius ſuperſit indurationis nota.

Non

Non raro papillæ mammarum in illis præcipue feminis, quæ ſuas lactant proles, excoriatæ dolent, ſæpeque pluribus in locis finduntur; his in caſibus maximum adfertur levamen, ſi partes hæ mucilagine ſeminum cydoniorum vel ſucco recenti ſempervivi majoris ſæpius humectentur vel oleo ovorum recenti & butyro ceræ probe illiniantur.

Quandoque autem hæc partes admodum rubicundæ evadunt, & pruriunt, vehementer dolent, & acrem, rodentem materiem continuo tranſudant, quæ ipſa quandoque excoriat & exulcerat: hic partes læſas remedio Nro. 22. ſæpius leniter abluere, iisque linteamina eodem humectata remedio applicare oportet; ſimul tamen adhibenda cautela eſt, ut papillæ, priusquam infantes denuo uberibus admoventur, æquali ſemper lactis & aquæ quantitate leniter abluantur, atque mundentur, ut nihil de hoc remedio adhærens infantes inſugant: in illis, quæ ſuas proles ipſæ non lactant, providum hoc conſilium inutile eſt.

Sunt puerperæ, quæ copioſum, aliæ autem, quæ levem & paucum lochiorum

fluxum experiuntur; apud nonnullas ſubinde tantum loturæ carnium ſimilis comparet ſanguis, apud alias contra plus materiei mucoſæ, aquoſæ ſubſtantiæ, quam ſanguinis abſcedit.

Omnibus in his caſibus attendendum ſolum eſt, an puerperæ ſimul bene vel male valeant: ſi bene, omnia naturæ relinquuntur.

Quodſi vero adverteretur feminas abundante continuo ſanguinis laborantes profluvio exinde debilitari, pallidas fieri, incipientia animi deliquia, frequentius cordis palpitationes &c. experiri, medicamenta leniter adſtringentia, ut ſupra, nec non corporis quies imperanda eſſent.

Si contra obſervaretur puerperas cum pauco admodum lochiorum fluxu preſſionem vel dolorem punctorium in abdomine ſemper ſentire, vertigines, oppreſſionem pectoris, cordis palpitationem anxietatesque conqueri, pulſum habere plenum, ſignum eſt hanc evacuationem non debita, ſed pauca nimis quantitate procedere; hoc in caſu ſæpe pediluvia emollientia adhibeantur, abdomen unguento Nro. 23. ſæpe diu-

que

que fricetur, plura injiciantur enemata emollientia, & magna præterea decoctorum, ut Nro. 2. 24. copia propinetur, & ſi hæc medicamenta ſufficientia non ſint, talia etiam ut Nro. 25. 26. 27. exhiberi poſſunt: ſi vero pulſus plenus foret & tenſus, venæſectio ſemper celebranda eſt.

Medicamenta calidiora & fortius pellentia ſumme fugienda ſunt.

Sæpiſſime contingit, ut corporis refrigeratione aut valido terrore, ira aliisve animi pathematibus lochiorum fluxus ſubito ſuppreſſus alia invadat viſcera, periculoſiſſimi porro & ſumme maligni morbi inflammatorii inde naſcuntur.

Simili in caſu peſſime ageretur, ſi medicamentis pellentibus lochiorum revocatio tentaretur, ſed cura tali modo intendenda eſt, ut ſuperius agendo de his morbis memorabatur.

Subinde durante puerperio ſine cauſa manifeſta diarrhæa aquoſa, bilioſa obvenit, & lochiorum ceſſat fluxus.

Si hæc diarrhæa non adeo vehemens ſit, nec alias cauſet moleſtias, nec diu nimis perſiſtat, nunquam ſiſtenda eſt.

Si

Si autem nimis valida foret, diuque continuaret, eam pulvere Nro. 28. puerperis exhibito, demum remedio Nro. 4. ad moderamen reducere tentamus.

Quodſi vero diarrhæa a refrigeratione vel a prava vivendi methodo oriretur, eadem ratione curanda eſt, ut ſuperius agendo de diarrhæa ex iisdem cauſis nata recenſitum eſt.

Nonnunquam periculoſiſſima puerperii ſymptomata inde originem trahunt, quod lac in mammis non debite ſecretum putreſcat; vel dum mammæ tenſæ & lacte impletæ ſubito flacceſcunt, laxæ & vacuæ redduntur absque eo, ut lac prius per papillas effluxerit; tunc temporis enim lac recedens in ſanguinis maſſam varias in partes metaſtatice deponitur.

Si talis metaſtaſis in cerebro, pulmonibus aut viſceribus abdominalibus obveniat, caſus eſt periculo pleniſſimus ſemper, cujus non rara ſequela mors eſt.

Ubi autem ſub tali tranſpoſitione tumor in partibus externis ſeſe elevet, ſæpiſſime auxilium adferri valet, dummodo hoc in caſu plurima decoctorum emollientium co-

pia

pia exhibere non negligatur, & quamprimum tumor mollis reperitur, ille ſtatim aperiatur; diuque ſervetur apertus, ut omnes materies per hanc viam evacuetur de corpore.

Nonnunquam in tali tumore mox ab initio mollis detenti humoris fluctuatio detegitur, nonnunquam vero durus obſervatur, & tum emplaſtris emollientibus ſimilibusque cataplaſmatibus maxima cum ſedulitate ipſius maturatio promovenda eſt.

Subinde materies hæc lactea per univerſum corpus in omnes diſtribuitur artus vehementem cauſans arthritidem, cui non raro plurium articulorum ſe adjungit immobilitas. In ejusmodi caſibus remedia Nro. 17. 21. 29. 30. 31. uſu diu continuato effectum præſtant ſingularem, & ſi tales ægræ bonis viribus gaudeant, optimum inſuper eſt ſæpius illis lene purgans exhibere.

Quandoque autem advertitur poſt ſimilem lactis in ſanguinem regreſſum copioſus albeſcentis lactei muci de pudendis profluxus, vel tales mulieres in mucoſam fætentem incidunt diarrhæam; hæ evacuationes ſemper fere ſalutares ſunt, quia perinde

pravæ

pravæ hujus materiei in aliam partem impeditur depoſitio.

Sæpe durante puerperio efflorescentia milliaris conſpectui ſeſe ſiſtit, verum cum hæc a conſueta non diſcrepet, pariter eadem ratione ac ſuperius de morbis acutis dictum fuit, curatur.

Tranſacto feliciter puerperio lochiisque ſucceſſive & regulariter terminatis præſtat ſemper his mulieribus remedium exhibere purgans, quale Nro. 32. 33. recenſetur.

F O R M U L Æ.

Nro. 1.

℞. Lapid. cancror. Unc. ß.
fiat pulvis.
Sumat bis de die parvum cochlear

Nro. 2.

℞. Rad. altheæ. Unc. iij.
fol. altheæ M. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. exhibe.

Nro. 3.

Nro. 3.

℞. Laud. pur. gr. j.
lapid. cancror. gr. xv.
m̄.
f. pulvis pro doſi.

Nro. 4.

℞. Bol. armen. dr. ij.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. vij.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlearia.

Nro. 5.

℞. Rad. conſolid. major. Unc. jv.
— altheæ Unc. ij.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. miſt. d. uſui.

Nro. 6.

℞. Alumin. rup. gr. x.
ſolve in
aq. flor. rhœad. Unc. viij.
dein adde:
ſyr. diacod. Unc. jß.
m̄.
Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 7.

Nro. 7.

℞. Pulv. rad. tormentil. dr. j.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. viij.

m̄.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 8.

℞. Syr. diacod. Unc. j.
aq. menth. Unc. viij.
tinct. terr. catech. dr. jß.
laud. liquid. gr. xv.

m̄.

Sumat omni hora vel bihorio duo cochlear.

Nro. 9.

℞. Laúdan. pur. gr. j.
ſolve in
aq. flor. Tiliæ Unc. jv.
dein adde:
ſyr. flor. rhœad. Unc. j.

m̄.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 10.

℞. Nitr. pur. gr. xl.
ſyr. diacod. Unc. jß.
aq. flor. Tiliæ Unc. vij.
m̄.

Sumat omni hora duo cochlear.

Nro. 11.

℞. Flor. chamomil. M. ij.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 12.

℞. Syr. diacod. Unc. j.
aq. flor. rhœad. Unc. jv.
laud. liquid. gtt. x.
m̄.

Nro. 13.

℞. Lapid. cancror. gr. xx.
nitr. pur. gr. x.
m̄. f. pulvis. pro doſi.

Nro. 14.

℞. Cremor. tartar.
arcan. duplic. aa gr. xxx.
m̄. fiat pulvis.

Nro. 15.

℞. Nitr. pur. dr. j.
roob ſambuc. Unc. ij.
ſyr. berber. Unc. j.
aq. flor. ſambuc. viij.

m̄.

Sumat omni hora cochlearia duo

Nro. 16.

℞. Rad. alth. Unc. j.
fol. alth. M. j.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ¼ hor.
dein adde:
flor. alth. M. jβ.
glycyrrh. raſ. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ¼ hor.
colatur lib. ij. exhibe.
Sumat omni trihorio vaſculum tepide.

Nro. 17.

℞. Aq. meliſſ. Unc. viij.
ſyr. fumar. Unc. iij.
liq. terr. foliat. tartar. dr. iij.

m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 18.

℞. Extract. cicutæ Unc. β.
f. pilul. gr. iij.

Sumat ter de die tres, ſenſim augendo doſim.

Nro. 19.

℞. Sapon. venet.
extr. cicut. aâ Unc. β.
m.
fiant pilul. gr. iij.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 20.

℞. Sapon. venet.
gumm. ammoniac.
extr. cicut. aâ dr. j.
maſſ. pilul. ruffi dr. β.
elixir. proprietat. q. ſ.
m.
fiant pilul. gr. iij.
Uſus, ut ſupra.

Nro. 21.

℞. Sapon. veneti
extract. cicut. aâ Unc. ß.
pulv. rhei elect. dr. ij.
ſyr. fumar. q. ſ.
m̄. ſ. pilul. gr. iij.
Sumat ter de die tres vel quatuor

Nro. 22.

℞. Aq. fontan. lib. j.
acet. litharg. dr. jß.
m̄.

Nro. 23.

℞. Camphor. dr. j.
ſolve in
ol. hyoſciam q. ſ.
dein adde:
unguent. de alth. Unc. j.
m̄.
Detur uſui.

Nro. 24.

℞. Flor. chamomil.
— alth.
hb. rut. aâ M. j.
conſciſſ. d. uſui.

Nro. 25.

Nro. 25.

℞. Borac. venet. gr. xxx.
ſyrup. alth. Unc. jß.
aq. rutæ Unc. viij.

m̄.

Sumat omni bihorio duo cochlearia ſuperbibendo vaſcul. infuſ. ſpec. Nro. 2.

Nro. 26.

℞. Magneſ. alb. ſcrup. ij.
nitr. pur. gr. x.
borac. venet. gr. v.

m̄.

ſiat pulvis.

Nro. 27.

℞. Magneſ. alb. ſcr. ij.
myrrh. elect. gr. v.
aloes lot. gr. ij.

m̄. fiat pulvis.

Nro. 28.

℞. Rhei elect. dr. ß.
myrobal. citrin. gr. xx.

m̄.

fiat pulvis pro doſi.

Nro. 29.

℞. Rad. bardanæ Unc. ij.
conſciſſ. coq. ſ. q. aq. per ½ hor.
dein adde:
rad. fœnicul. Unc. j.
relinque adhuc in fervid. infuſ.
per ½ hor.
dein colatur lib. ijβ. adde:
ſyrup. fumar. Unc. ijβ.
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
m̄.

Sumat omni bihorio vaſculum.

Nro. 30.

℞. Rad. V. aperient. aâ dr. iij.
conſciſſ. infund. ſ. q. aq. ferv.
per ½ hor.
dein colatur. lib. ij. adde:
liq. terr. fol. tartar. dr. iij.
ſyrup. fœnicul. Unc. ij.
m̄.

Sumat omni bi- vel trihorio vaſculum calide.

Nro. 31.

℞. Rad. bardan. Unc. vj.
glycyrrh. Unc. j.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 32.

℞. Sal. polychreſt. dr. iij.
Aq. laxativ. D. V. Unc. iijß.
m̄.

Sumat pro unico hauſtu.

Nro. 33.

℞. Fol. ſennæ Unc. ß.
mann. elect. Unc. jß.
cremor. tartar. dr. ij.
conſciſſ. miſt. inf. in aq. ferv. lib. ß.
relinque vaſe clauſo per ½ hor.
dein colatur. exhibe.

Pro hauſtu.

De Morbis Infantum.

Utprimum infans in lucem editur, ſollicite indagandum eſt, an vivens, ſanus, agilis ſit, an debilitate proſtratus paucá ſolummodo vitæ ſigna præbeat?

Qui agiles ſunt, & ſani videntur, deligato fune umbilicáli probe exáminari debent, an nihil in his inveniatur præternaturale an cuncta membra bene conformata non autem luxata ſint aut fracta, an non caput in aliqua plaga contuſionem acceperit, vel denique tumores, excreſcentiæ, mali coloris maculæ, labia fiſſa &c. reperiantur?

Sæpe ſphincter ani penitus concretus eſt, vel etiam tenui ſolum lamella invenitur occluſus, idem in exitu urethræ obvenire poteſt ita quidem, ut evacuationes naturales per hæc loca peragendæ penitus impediantur. In talibus caſibus exercitatus chirurgus arte ſua illico medelam ferat oportet, neceſſum enim eſt, ut neonati fœcibus tempore incluſionis in utero accumulatis citiſſime ſe exonerent.

Luxa-

Luxationes artuumque fracturæ in neonatis ſæpe admodum facile feliciterque curantur.

Contuſiones leviores & nati exinde tumores brevi plerumque evaneſcunt, dum ſæpius vino & aqua tepide abluuntur, panniſque laneis iisdem probe madidis continuo foventur.

Tumores magni in oſſe occipitis communiter lethales habentur.

Reliquæ circumſtantiæ præternaturales non adeo citum expoſcunt auxilium: non raro harum ſimiles ſponte evaneſcunt, ſi infans cæteroquin ſanus ſit, viribusque creſcat.

Cætera omnia mala manu chirurgica aufferenda nec adeo celerem expoſtulantia medelam differri poſſunt eouſque, quo infans viribus ſufficienter obtentis ad ſimilem aptus fuerit operationem, ſi vero adverteretur tale continuo malum augeri, auxilium requiſitum differendum non eſt.

Si vero infans recens natus uti ſæpenumero poſt difficiles, laborioſos & præternaturales partus accidere ſolet, prorſus debilis, enervatus & absque notabilibus vitæ

ſignis proſtratus jaceret, mox adlaborandum eſt, ut excitetur, ſuppreſſique ſpiritus vitales in actum deducantur.

Horum nonnulli penitus pallent, vixque ſpiritum trahere videntur, debilis ſolummodo, frequenter intermittens cordis & arteriarum motus percipitur, & totius adhuc corporis mollities naturalis obſervatur & calor.

Alii vero, qui ſine omni vitæ ſigno mortuorum inſtar procumbunt, in capite præcipue & facie tumidi ſanguine turgent, totique lividi conſpiciuntur, quandoque copioſa ex ore ſpuma profluit.

In primo caſu illico pro more debito funis ligetur umbilicalis, & abſcindatur; poſthac in calidum balneum locetur ex æquali portione aquæ & vini conſtitutum, tum lavetur, & ſpongia aut panno laneo in capite, facie, pectore, abdomine, ſpina dorſi, & univerſo corpore fricetur, regio quoque temporalis, nares & cordis ſcrobiculus debiliori cornu cervi ſpiritu perungantur, adhibito hoc labore puſilli antea ob debilitatem reſpirare non potentes iterato ſpiritum attrahere inchoant, calor per

uni-

univerſum corpus augetur, oculos aperiunt & tandem ejulant; illi vero, qui prorſus ſine ullis vitæ ſignis mortui jacere videntur, non facile reſuſcitantur. Quare, poſtquam irrito effectu priori per aliquod tempus tractabantur methodo, calidis involvendi ſunt linteaminibus, ſæpiusque enema, cui aliquot guttulæ ſpiritus cornu cervi admixtæ ſunt, adminiſtrandum venit; ſubinde complanata manu pectus tenellum leniter comprimi, ſubitoque relaxari poteſt, ſæpius etiam tali manu leniter ad dorſum, pectus, ad cordis præſertim regionem percutiuntur, clauduntur nares & ſimul aër in os inflatur: hacque methodo infantes ſæpiſſime revocantur in vitam, qui aſpectu externo perfecte mortui exiſtimabantur; verum nec temporis, nec laboris nos pœniteat, pluribus enim horis his oportet inſiſtere auxiliis; an non hominis vitam vindicaſſe proemium laboris ſufficiens?

In altero contra caſu omnes hæ frictiones & res calide ſumme nocerent, quia a ſanguinis in encephalo accumulati copia vis vitalis ſuppreſſa habetur.

Quare

Quare in hoc quidem caſu funiculus umbilicalis reſcindendus, verum nequaquam ligandus eſt, ſed potius aliquot ſanguinis cochlearia emittenda erunt, perinde ſanguinis circulus liberior redditur, encephalon ſuo liberatur pondere, & plerumque brevi admodum omnia vitæ ſigna apparent.

Utprimum ſufficiens ſanguinis quantitas effluxit, funiculus umbilicalis ligatur, & demum hi etiam infantes vino & aqua tepidis lavari poſſunt; ſique interea copioſam non exonerent alvum, clyſma cum pauxillo mellis injiciendum eſt.

Spirituoſis hoc in caſu præcipue abſtineri debet.

Infantes nonnulli alacres naſcuntur & ſani, nullum in ipſis vitium deprehenditur, poſt aliquot autem horas ſæpe adhuc citius difficulter & ſtertoroſe reſpirare incipiunt, facies livida redditur, & ex ore prodit mucus, quo non raro totum os repletum habent, talis mucus illico ope digiti leniter educendus eſt, adminiſtrandumque clyſma & ſæpius cochlear parvum de Nro. 1. porrigendum; ejúsmodi infantibus optime

con-

conducit vomere, copioſumque vomitu mucum ejicere.

Brevi a partu tempore tenax ex nigro-vireſcens mucoſa a recensnatis alvus deponitur, alvus hæc *Mœconium* appellatur.

Sæpiſſime non tantum ventriculus muco copioſo oneratus eſt, ſed etiam præter muci copiam plurimum mœconii inteſtinis inhæret.

Infantes perinde admodum anguntur, & debilitantur, ſi præſertim hæ ſordes valde tenaces ſint, nec facile excernantur.

Ubi mœconium acre eſt, irritat inteſtina, valida tormina, inflationes, frequentiſſimas convulſiones cauſat & inflammationes inteſtinorum.

Quare præcipuas inter curas ſit corpus inde liberare, ideo illis ſæpius parvum cochlear ſyrupi, ut Nro. 2. 3. porrigitur. Si vero mœconium acre foret & fœtidum, clyſmate inſuper ex oleo recenti & jure carnium quandoque opus erit.

Infantem torminibus affici cognoſcitur, ſi abdomen inflatum ſit, infans continuo ejulet, pedes ſurſum trahat verſus abdomen,

men, hinc inde ſe torqueat, & poſt aliquorum flatuum emiſſionem tranquillior evadat.

Remediis ſupra dictis leniter purgantibus, etiamſi infans jam ubera ducere aut alia inceperit aſſumere alimenta, continuandum eſt, donec corpus ab omni mœconio repurgatum fuerit; quamdiu enim aliquid adhuc inde remanet, nunquam conducent alimenta, & infans ſemper inquietus erit.

Mœconium autem perfecte de corpore eliminatum fuiſſe conſtat, ſi alvus naturaliter colorata nec amplius mucoſæ ex viridinigreſcentis aut aliter coloratæ ſubſtantiæ permixta deponatur.

Infantes, qui robuſti, alacres & ſani ſunt, ſtatimque ab initio facile & copioſe evacuantur, magna ſemper cupiditate os aperiunt, acuunt, ac ubera ducere anhelant, hi horis duodecim elapſis mammis admoveri, aut alia levia iis porrigi poſſunt alimenta.

Alii contra, quibus evacuationes nec copioſæ nec adeo faciles obveniunt viginti quatuor aut triginta horarum ſpatio uberibus abſtinere poſſunt, & licet nutrimenta

ſem-

ſemper appetant, ſufficit tamen aliquot cochlearia parva juris carnium debilioris ſæpius exhibere.

Priuſquam infantes uberibus admoventur, inquirendum eſt, an ſugendi facultatem habeant.

Hoc ut experiamur, digitum in os infantis immittimus, & ſi hunc lingua labiisque bene attrahat, ſignum eſt eum ſugere valere.

Lingua enim libera infantibus eſſe cognoſcitur, ſi clara voce exclamant, linguam externis labiorum partibus & fornici palati admoveant, denique ſi bene ſugant.

Si vero lingua non adeo mobilis & libera obſervetur, videndum eſt, utrum pars linguæ inferior accreta, conſequenter frœnulum linguæ non ſatis ſolutum ſit.

Quodſi hoc poſtremum deprehendatur, ſolutio ejus provide & caute mediante forfice facienda eſt.

Non raro infantes nimis imbecilles & debiles ſunt, & idcirco ſugere nequeunt, unde applicatione uberum nimium torqueri non debent, ſed potius lac ex mammis leniter in os prematur, aut mulſum ex mam-

mis

mis per cochlearia parva exhibetur, vel etiam hac ratione juſculum ex pulli carnibus paratum ſæpius propinatur, quicum tamdiu pergere licet, donec neceſſarias ad ubera ducenda nanciſcantur vires, tum tandem uberibus aſuefiant.

Subinde vero neonati ſugere non valent, quia linguam & labia ſauciata & dolentia gerunt vel quia his in partibus parva exoriuntur ulcera.

His igitur eadem ratione alimenta adminiſtranda ſunt, quouſque moleſtiæ mitigatæ fuerint & ſublatæ.

Atque his in caſibus brevi levamen conciliatur, dum ſauciæ partes aut ulcuſcula remediis, ut Nro. 4. - 5. ſæpius illiniuntur.

Poſtquam infantes aliquo tempore ubera duxere, varia ſæpiſſime a lacte ſymptomata patiuntur, præſertim ſi debili ventriculo præditi ſint, & inteſtina ſimul copioſo muco onerata habeant.

Perinde utplurimum contingit, ut lac in ventriculo coaguletur, in coloſtrum abeat & aceſcat; ab hoc itaque ventriculus inflantur & inteſtina, tormina producuntur, infan-

infantes hac de cauſa in convulſiones & vehementes continuos tendinum ſubſultus incidunt, ſæpius multum mucoſæ & caſeoſæ ſubſtantiæ vomitu rejiciunt, anxii admodum, debiles ſunt & inquieti; adhæc valida ſequitur diarrhæa, excrementa plerumque caſeoſa, mucoſa & fœtida quandoque ſtatim virideſcentia ſubinde autem læte flava ſunt, verum poſt aliquam moram colorem ſuum pariter mutant in gramineum; & hæc ſigna certiſſima ſunt adeſſe acidum, quod hæc ſymptomata producat.

His in caſibus medicamenta, ut Nro. 6. 7. 8. 9. exhibentur.

Hac ratione acidum plerumque corrigitur & ſenſim evacuatur.

Si tormina admodum valida ſint, enemata etiam ſæpius ex carnium juſculis & oleo recenti parata ipſis injiciantur, & abdomini linteamina fumo macis impraegnata apponantur, oportet, aut tenuis ſacculus floribus chamomillæ repletus conſuitur, & calide abdomini applicatur.

Hæc remedia tamdiu continuantur, quamdiu adhuc acidi ſignum apparet.

Interea

Interea temporis, præſertim ubi acidum nimis invaluit, parum lactis ſugere aut aſſumere infans debet, ſed pro maxima parte bono ex pullis parato juſculo alendus eſt.

Omnia, quæcunque fuerint mala ad diligentem horum medicamentorum uſum communiter ceſſant, ſi vero diarrhæa adhuc pergeret, remedium Nro. 10. poſteaquam acidum & caſeoſa de corpore ſubſtantia eliminata videtur, ipſis exhiberi debet.

Medicamenta fortiter adſtringentia & ſtiptica ſumme ſemper infantibus nocent, indurationes enim cauſant, unde magni & duri ventres, pertinax & non raro ad omnia remedia rebellis atrophia oritur.

Si vero, poſtquam remediis ſuperius memoratis mucoſa & caſeoſa ſubſtantia omneque acidum penitus deſtructa ſunt, convulſiones adhuc & tendinum ſubſultus continuant, medicamenta ut Nro. 11. 12. 13. 14. porriguntur.

Talia autem remedia nunquam adhibenda ſunt, niſi antea primæ viæ ab acrimonia repurgatæ fuerint; hæc enim communi-

muniter princeps horum ſymptomatum cauſa eſt; ſi itaque prius hæc non tollatur, vanus eſt horum remediorum uſus, nihilominus dum convulſiones tendinumque ſubſultus nimis validi ſint, aut nimis diu perſiſtant, eadem ſemper ſuperioribus admiſcere licet medicamentis.

In infantibus male conformatis, quibus grande caput, vel etiam in illis, qui ſuturas cranii procul ſemper a ſe invicem diſtantes habent, qui ſomnolenti ſemper ſunt, & ſæpe absque cauſa manifeſta vomunt, periculoſi exiſtunt tendinum ſubſultus.

Sæpius contingit, ut ipſis copioſus mucus ſubito de capite deſcendat, quem ſemper deglutiunt, difficulter tandem reſpirare & tuſſire incipiunt, validas in convulſiones prolabuntur, quibus non raro mors ipſa ſuccedit.

Quidam vero in tenella ætate ſua ab his malis liberi quidem manent, verum ſemper morboſi ſunt & hebetes, totaque ſæpe vita aliis ſymptomatibus convulſivis aut ipſa affliguntur epilepſia.

Ejusmodi infantibus optime convenit remedium lene purgans ſæpius propinare.

Non raro etiam convulſiones tendinumque ſubſultus infantibus a parte nutricis cauſantur, ubi nempe hæc poſt validam iram, terrorem aut alios animi affectus vehementes infanti ubera porrigat.

Hoc in caſu ſubito remedium purgans infanti exhibendum eſt, qui aliquo tempore uberibus valedicere debet, ubera vero aliquoties interea emulgeantur oportet, & tandem infans iterum illis admoveatur, quando tam animi motibus, quam omnibus exinde in corpore natis turbis perfecte compoſitis lac denuo priori bonitate donatur.

Nonnunquam nutrices regulariter menſtruant, ſi etiam hoc tempore bona infantes valetudine fruantur, mutatio nutricum neceſſaria non eſt, ſi vero infantes tunc ſemper morboſi forent, & magnæ valde inquietudines, tendinum ſubſultus obſervarentur & convulſiones, ablactandi veniunt, aut alia nutrix conducenda eſt.

Sæpe infantes aliquo poſt partum tempore icterici evadunt, utplurimum tunc

tem-

temporis ventriculus & inteſtina inflata habentur: hoc in caſu pariter medicamenta ſuperiora conveniunt, præprimis vero illud Nro. 8. adhibendum eſt, ubi acidi aut caſeoſæ ſubſtantiæ indicia adſunt.

Si autem nulla acidi ſuperabundantis ſigna appareant, & infans alvum cæteroquin ſufficientem habeat, tum aliquo tantum tempore medicamenta, ut Nro. 15. 16. memorantur, in uſum trahuntur.

Eadem remedia ſingulariter etiam proſunt, ſi diu illis exhibeantur infantibus, qui ſæpe ulcuſculis labiorum, gingivarum, linguæ vel faucium laborant; ſi vero ſimul obſtructi forent, nec ſufficientem excernerent alvum, ab illis per unum binosve dies ſubinde abſtinendum eſt, & in eorum locum lene purgans, ut Nro. 17. ſubſtituendum.

Interim os ſemper mundum ſervetur & ſæpius aqua fontana pura vel aqua ſtillatitia ſalviæ eluatur. Si labia, lingua, gingivæ, fauces ſaucia ſint, linctu Nro. 5. ſæpius illiniri debent.

Ubi vero os aut hæ partes alba ſimul & tenaci pellicula obducuntur, vel hæc

ulcuſcula ſquamoſa & prominula ſunt, tenerum linteolum aqua humectatum pulveri Nro. 18. immitti, eoque partes hæ leniter fricari poſſunt; adhæc os bene eluitur, & omnia linctu Nro. 5. illiniuntur.

Si infantes acri, pruriente, rodente, diuturna efflorescentia vel ulcuſculis in facie, auribus vel regionibus oculorum vel in cute capitis capillata, collo vel aliis corporis partibus infeſtentur, illis etiam ut ſupra longo tempore talia dantur medicamenta, qualia Nro. 15. 16. 17. videre eſt.

Non raro multa ex his ulceribus acrimonia profluit, quæ partes adjacentes inflammat, arrodit, ardorem fere intolerabilem cauſat & pruritum.

Hoc in caſu acrimonia æquali lactis & aquæ quantitate tepide ſæpius ablui & bene dein abſtergi debet; exſiccantia, plumbata præſertim remedia hic utplurimum cum periculo adhibentur, malum quidem perinde non raro curatur, verum hæc acrimonia ad internas tandem partes deponitur, & inflammationes, convulſiones, reſpirationem difficilem, cæcitatem, nonnunquam

quam etiam epilepſiam producit; in omnibus his caſibus caute admodum mercandum eſt, diu quidem durat malum, verum parentes ob formidanda pejora nunquam patientiam ſeponant.

Eadem medicamenta illis etiam proſunt infantibus, qui tumidum gerunt abdomen, & in quibus indurationum adeſt ſuſpicio, modo diu continuentur, & abdomen præterea mane ac veſpere unguento altheæ bene fricetur.

Quodſi vero induratio in abdomine adeo pertinax ſit, ut his remediis morem non gerat, atque ſi colli glandulæ vel partium aliarum pariter induratæ obſerventur, remedium Nro. 19. præſcribendum eſt. Cujus uſus protractus plerumque ſufficit, ſi vero multum ſimul acidi inteſtinis inhærere advertatur, remedium Nro. 20. conducet.

Si ejusmodi medicamenta, ut Nro. 15. 16. 19. 20. infantibus rachiticis exhibeantur, atque diu horum inſiſtatur uſui, hoc mali genus ſæpe admodum facile vincitur, aut ejus ſaltem prævertuntur ſequelæ.

 Hunc

Hunc morbum etiam pulvis Nro. 21. non raro integre ſuſtulit, ubi uſus illius per plures menſes, ſubinde per annum integrum continuabatur.

Neceſſe ſolum eſt, ut omnibus his medicamentis lene purgans, ut Nro. 17. ſæpius interponatur, ſi alvus non ſatis aperta foret, aut infantes appetitu deſtituerentur.

Mundities & ſiccitas pro ejusmodi infantibus ſufficienter commendari nequit, etenim ſi ſemper in humido & ſordibus relinquantur, majora continuo hic morbus ſumit incrementa; immundities & humiditas cubilium, in quibus morari coguntur, non raro princeps hujus morbi cauſa exiſtit.

Purus, ſiccus, renovatus aër his infantibus præprimis utilis, præterea omnis conveniens corporis motus ipſis inducendus eſt.

Ita quoque ad curam accelerandam multum confert, ſi abdomen & reliqui tumentes artus pannis laneis camphoræ & ſuccini fumo bene impregnatis quotidie leniter perfricentur.

Infan-

Infantes verminoſi utplurimum remediis *ſub Nro.* 22. 23. 24. 25. recenſitis feliciter curantur.

Si vero illorum abdomen durum valde ſimul & tenſum deprehenderetur, aut ſi glandulis laborarent induratis, ſimilibus remediis ſolventia ſupra dicta admiſceri poſſunt.

Tertio vel quarto menſe ſæpiſſime accidit, ut infantes omnia, quæ manibus prehendunt, ori inferant, & vehementer mordeant, copioſa illis ex ore ſaliva profluit, ambas gingivas valde calere, pluribus in locis multum rubeſcere, & pruritum excitare animadvertuntur; quandoqua toto corpore præternaturaliter calent, facies rubet, debiles procumbunt, & pulſum exhibent febrilem.

Omnia hæc mala oriuntur, ſi materia dentium durior evadat, intumeſcat & elevetur:

Simili in caſu, ſi alvum ſufficientem non habeant, ſæpius ipſis clyſma injici, prætereaque remedia leniter refrigerantia, ut Nro. 26. propinari poſſunt; partes affectæ etiam linctu Nro. 4. illiniantur, & hac

ratione exæſtuationes ſimiles fere ſemper cito & feliciter tranſeunt.

Septimo, octavo vel nono menſe, nonnunquam & ſerius infantibus dentes erumpunt.

In aliquibus hæc eruptio facilis contingit & non animadverſa.

Apud alios contra dentitio ſæpe difficulter admodum ſuccedit, gingivæ tument, rubent, inflammantur, ardent & dolent, genæ alto ſuffunduntur rubore, oculi turbantur ſplendentes, fixi evadunt, ore plerumque copioſa ſaliva profluit; utplurimum febris valida, magna ſitis & multus per corpus univerſum calor enaſcitur, infantes inquieti, anxii redduntur & inſomnes; frequenter valde tendinum ſubſultus & continuæ ſimul accedunt convulſiones, non raro ſimul diarrhæa adeſt, atque ſi hæc nimium vehemens non fuerit, melius ſemper eſt, quam ſi alvo obſtructa dentitionis tempore infantes laborarent.

Si igitur febris adſit valida, omni hora cochlear de Nro. 26. exhibetur, ſique non ſufficienter aperta alvus, clyſma emolliens ſæpius injicitur; ad plantas pedum empla-

ſtrum

ſtrum de galbano vel fermentum panis acidum applicatur, & tumentes rubræ gingivæ continuo remedio Nro. 4. humectantur.

Ad hæc non raro æſtus & febris brevi remittunt, feliciterque prodeunt dentes.

Sæpe autem omnia hæc remedia incaſſum tentantur, calor augetur & febris, oculi rubeſcunt, ſuperveniunt tendinum ſubſultus & convulſiones, atque hoc in caſu venæ ſectio celebranda eſt, vel quod longe facilius fit, applicandæ retro aures ſanguiſugæ.

In plethoricis infantibus vel ubi malum pertinax eſt, & valide admodum perſiſtit febris, venæſectionem vel hyrudinum appoſitionem frequenter iterare cogimur.

Si in ejusmodi caſibus ſpirituoſa aut alia remedia calida convulſionibus tendinumque ſubſultibus opponerentur, non tantum malo perinde adderetur incrementum, ſed ipſa mors induceretur: a talibus igitur ſollicite abſtinendum eſt, quamdiu febris valida, pulſus plenus & calor magnus adhuc adeſſe perſeverant.

Ubi vero tendinum ſubſultus & convulſiones perſiſterent, poſtquam medicamenta refri-

refrigerantia, plura enemata & detractio ſanguinis febrem ad debitum jam reduxere moderamen, caloremque ſedavere, tum remedia, ut Nro. 11. 12. 13. 14. uſuvenire poſſunt.

Ipſa hæc medicamenta etiam in principio ſtatim convulſionum & tendinum ſubſultuum ordinare licet, ſi infantes dentitione laborantes nec calore notabili, nec multa afficiantur febre, interim laſſi admodum & debiles decumbant, nullaque prorſus indicia docerent hæc ſymptomata a copioſa muci in ventriculo aut inteſtinis collectione ſuam derivare originem.

Si autem ex ſignis ſupra enarratis pateret ventriculum aut inteſtina mucoſa, caſeoſa vel acida onerata eſſe ſaburra, lenibus hæc ſuprarecenſitis remediis eliminanda eſt, perinde utplurimum omnes ſubſultus & convulſiones fugantur.

Quodſi vero eadem omnibus his adhibitis adhuc perdurarent, remedia convulſiones ſedantia, ut Nro. 11. 12. 13. 14. adhiberi poſſunt.

Atque

Atque ſi hæc nondum ſufficerent, veſicantia inſuper ad ſuras applicare oportet.

Sæpe etiam obſervatur gingiva in loco erupturi dentis valde elevata, vehementer tenſa & adeo dura, ut a dente perforari nequeat, hæc tunc diſſecanda & denti erupturo ſpatium conciliandum eſt.

Advertitur eos plerumque infantes dentitionem abſolvere facilius, qui leni ſimul nec debilitante diarrhæa laborant.

Illi contra, qui alvum obſtructam habent, qui laſſi decumbunt & ſomnolenti, oculis fixis adſtantes intuentur, in convulſiones utplurimum incidunt.

Si tenelli infantes frigido aut per rimam admiſſo aëri ſubito exponantur, coryza & tuſſis eos ſæpius prehendit, vox redditur rauca, nonnunquam febricitant, ſimul præternaturali calore moleſtantur & ſiti: hoc malum ſæpe facile tollitur, dum illis remedium Nro. 27. propinatur & deſuper ſæpius infuſum Nro. 28. ingeritur.

Ubi autem vehementi raucedine & tuſſicula continua ſicca affliguntur, ubi ex oculis

lis, naribus aquoſa continuo & acris materies profluit, remedium Nro. 29. porrigitur.

Si nunc libere incipiant tuſſire, & indicia adſint pulmonem muco obſeſſum eſſe, quem exſpuere non valent, ſed potius deglutire coguntur, remedium Nro. 17. illis exhibendum eſt, perinde ſæpe facile admodum & feliciter tuſſis terminatur.

Quodſi autem ex difficili reſpiratione & tuſſis frequentia obſervaretur mucum quidem præſentem eſſe, vetum mobilem fieri nolle, remedium datur, quod *ſub Nro.* 30. poſitum eſt; ubi jam per hoc mucus ſufficienter ſolutus & mobilis redditus eſt, infans ſtertoroſe reſpirat, & libere tuſſit, remedium ut ſupra Nro. 17. porrigatur.

Sæpe continua, ſicca, titillans tuſſis remanet, quæ infantibus præſertim nocturno tempore ſomnum adimit, multumque moleſta eſt; huic admodum facile per remedium Nro. 31. occurritur, poſtquam mucus jam omnis de corpore eductus & infanti reſpirationis libertas reddita eſt.

Non raro tuſſis in infantibus, quorum viſcera, pulmones præſertim & ventriculus magna tenacis muci copia obducta ſunt,

admo-

admodum pertinax eſt, qua durante in validum aſthma incidunt, facie tota liveſcunt, & reſpiratio quaſi ſuffocandis exulat, tum ad medicamenta Nro. 1. 32. 33. confugiendum eſt.

Remedia Nro. 32. vel 33. in periculoſiſſimis hiſce & maxime diuturnis malis optimum præſtat effectum; ſæpe vomunt inde infantes, quo vomitu copioſum tenacem mucum magno cum levamine rejiciunt; quandoque inde mucoſa levans diarrhæa excitatur, & hac ratione malum ſenſim decreſcit. Si vero nulla ejusmodi levans ſequeretur evacuatio, ab eo per unum quandoque diem abſtinere & ejus loco remedium Nro. 17. eodem die ordinare oportebit.

F o r m u l æ.

Nro. 1.

℞. Sal. polychreſt. gr. xx.
oximel. ſimpl. Unc. β.
ſyr. mannat. Unc. ijβ.
m̄.
Detur omni hora cochlear.

Nro. 2.

Nro. 2.

℞. Syr. cich. cum Rheo. Unc. ij.
Detur uſui.

Nro. 3.

℞. Ol. amygd. rec. preſſ. Unc. β.
ſyr. mannat. Unc. jβ.
m̄.
Detur uſui.

Nro. 4.

℞. Mel. roſar.
mucilag. ſem. cydon. aâ Unc. j.
m̄.

Nro. 5.

℞. Succ. ſemperviv. rec. preſſ. Unc. j.
mucilag. ſem. cydon.
ſyr. violar. aâ Unc. β.
m̄.

Nro. 6.

℞. Pulv. lapid. cancror. gr. xl.
ſyr. cich. cum Rheo. Unc. ij.
m̄.
Detur ſæpius parvum cochlear.

Nro. 7.

℞. Pulv. lapid. cancror. gr. XL.
ol. amygd. dulc. rec. Unc. ß.
ſyr. mannat. Unc. ij.

m̄.

Uſus, ut prioris.

Nro. 8.

℞. Pulv. lapid. cancror.
magneſ. alb. aâ dr. ß.
ſyr. cich. cum rheo
— mannat. aâ Unc. j.
aq. flor. Tiliæ Unc. ij.

m̄.

Uſus, ut prioris.

Nro. 9.

℞. Sapon. venet. gr. xv.
ſolve in
aq. flor. Tiliæ Unc. j.
dein adde:
pulv. lapid. cancror. dr. ß.
ſyr. cich. cum rheo Unc. ij.

m̄.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 10.

Nro. 10.

℞. Aq. fœnicul. Unc. iij.
Syr. diacod. dr. vj.
bol. armen. præpat.
lapid. cancror. aá dr. ß.
m̄.
Detur omni hora cochlear.

Nro. 11.

℞. Aq. flor. Tiliæ Unc. iij.
ſyr. pœoniæ Unc. j.
ſpir. C. C. gtt. vj.
m̄.
Detur ſæpius cochlear.

Nro. 12.

℞. Pulv. epilept. March. gr. xx.
lapid. cancror. dr. ß.
ſyr. diacod. Unc. ß.
— capill. vener. Unc. j.
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.
ſpir. C. C. ſuccinat. gtt. x.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 13.

℞. Succin. præparat. gr. xx.
ſyr. de pœon. Unc. j.
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.
laud. liquid. gtt. vj.

m.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 14.

℞. Extract. hyoſciam. gr. iij.
ſolve in
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.
dein adde:
ſyr. capill. vener. Unc. j.

m.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 15.

℞. Terr. fol. tartar. dr. ß.
ſyr. fumar. Unc. ijß.

m.

Detur ſæpius parvum cochlear.

Nro. 16.

℞. Aq. fœnicul.
— flor. Tiliæ aâ Unc. jβ.
ſyr. fumar. Unc. ij.
liq. terr. fol. tartar. dr. j.
m̄.

Sumat omni bihorio cochlear.

Nro. 17.

℞. Arcan. dupl. gr. XL.
ſyr. mannat. Unc. ijβ.
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.
m̄.

Sumat omni bihorio unum cochlear vel duo.

Nro. 18.

℞. Sachar. alb. Unc. j.
alumin. pur. gr. xij.
m̄. fiat pulv.

Nro. 19.

℞. Extract. cicut. gr. v.
ſolvè in
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.
dein adde:
ſyrup. fumar. Unc. ij.
liq. terr. fol. tartar. dr. β.
m̄.

Sumat omni bi- aut trihorio cochlear.

Nro. 20.

Nro. 20.

℞. Sapon. venet. gr. xx.
extract. cicut. gr. v.
ſolve in
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.
dein adde:
ſyrup. fumar. Unc. ij.
— cichor. cum rheo Unc. ʃ.
m̄.
Uſus, ut prioris.

Nro. 21.

℞. Oſtracodermat. gr. xx.
fiatpulvis.
Detur bis de die unus.

Nro. 22.

℞. Pulv. rad. valer. ſylv.
arcan. dupl. aâ dr. β.
ſyr. mannat. Unc. ijβ.
aq. tanacet. Unc. iij.
m̄.
Detur omni bi- aut trihorio unum aut duo cochlear.

Nro. 23.

℞. Pulv. rad. valer. ſylv.
arcan. dupl. aá dr. j.
ſyrup. mannat. Unc. iij.
m̄.
Detur ſæpius de die parvum cochlear.

Nro. 24.

℞. Pulv. rad. dictam. alb. gr. x.
Detur talis mane, ac veſpere.

Nro. 25.

℞. Pulv. rad. dictam. alb. gr. x.
— — jalap. gr. ij.
ſachar. alb. gr. vj.
m̄. fiat pulv.
Detur mane ac veſpere talis.

Nro. 26.

℞. Nitr. pur. gr. xx.
ſyrup. capill. vener. Unc. j.
aq. flor. Tiliæ Unc. iijß.
m̄.
Detur omni hora vel bihorio cochlear.

Nro. 27.

Nro. 27.

℞. Nitr. pur.
ſtib. diaph. n̄. abl. aâ gr. xx.
ſyrup. altheæ Unc. jß.
aq. flor. rhœad. Unc. jv.

m̄.

Uſus, ut prioris.

Nro. 28.

℞. Flor. ſambuc.
fol. malv. aâ M. ij.
conſciſſ. exhibe.

Nro. 29.

℞. Nitr. pur. gr. xv.
pulv. ſpec. diatrag. frig. dr. j.
ſyr. flor. rhœad. Unc. j.
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.

m̄.

Detur omni hora vel bihorio cochlear.

Nro. 30.

℞. Oximel. ſimpl.
ſyr. flor. rhœad. aâ Unc. j.
aq. flor. Tiliæ Unc. iij.

m̄.

Uſus, ut ſupra.

Nro. 31.

℞. Pulv. ſpec. diatrag. frig. dr. j.
ſyr. diacod. Unc. j.
aq. flor. rhœad. Unc. iij.

m̄.

Sumat omni hora cochlear.

Nro. 32.

℞. Kerm. mineral. gr. vj.
ſachar. alb. dr. iij.

m̄.

fiat pulv. tenuiſſim.

Detur omni bihorio, quantum cultri cuſpide capi poteſt.

Nro. 33.

℞. Kerm. mineral. gr. ij.
ſachar. alb. dr. j.

m̄.

fiat pulv. tenuiſſim.

Dividatur in doſes ſex æquales.
Detur omni trihorio pulvis.

INDEX

Rerum contentarum

TOMI SECUNDI.

Pag.

De Hydrophobia ſeu Rabie canina — 3
— Febribus intermittentibus — — 58
— Hydrope— — — — — — 89
— Ictero — — — — — — 123
— Scorbuto — — — — — 146
— Scabie — — — — — — 162
— Vermibus— — — — — — 177
— Hæmorrhoidibus — — — — 183
— Calculo renum & Veſicæ urinariæ — — — — — — 213
— Lue venerea — — — — — 231

Pag.

De Morbis ſexus feminini ſingularibus — — — — — — 286

— Morbis gravidarum & parturientium— — — — — — 337

— Morbis & cura puerperarum — 367

— Morbis Infantum — — — — 392

INDEX

INDEX

Rerum maxime memorabilium cujusvis morbi in his binis Tomis contentarum.

A.

	Tom.	Pag.
Angina. Quid ſit? - - - -	I.	137
Signa inflammatoriæ - - -	—	137
Ejusdem cura - - - - - -	—	138
Anginæ ſuppuratio - - - -	—	143
Methodus medendi ſuppurationem - - - - - - - -	—	143
Cura Anginæ inflammatoriæ malignæ - - - - - -	—	145
—— ulcuſculorum in faucibus	—	147
—— Anginæ aquoſæ frigidæ	—	149
—— —— ſcirrhoſæ - -	—	150
—— —— concluſivæ - -	—	151
—— —— paralyticæ - -	—	151
Angina Venerea, vide lues Venerea.		

Apo-

	Tom.	Pag.
Apoplexia. Quid ſit? - - - - -	*I.*	535
Ejus cauſæ - - - - - - -	—	536
Quinam obnoxii? - - - -	—	537
Signa Apoplexiæ ſanguineæ -	—	538
Ejusdem curatio - - - - -	—	539
Signa Apoplexiæ calidæ a nebuloſo & frigido aëre - -	—	542
